



LEXICON
TOPOGRAPHICUM SICULUM
DEMANA VALLIS.

LEXICON TOPOGRAPHICUM SICULUM,

In quo Siciliæ Urbes, Opida, cum diruta, tum extantia, Montes, Flumina, Portus, adjacentes Insulæ, ac singula loca describuntur, illustrantur.

STUDIO, ET LABORE

S.T.D.D. VITI M. AMICO ET STATELLA

ORDINIS S. BENEDICTI,


Regii Siciliæ Historiographi, dudum in Patrio Catanensi Lyceo Civilis Historiæ Professoris, ac publicæ Bibliothecæ Primarii Custodis.


TOMUS TERTIUS.





CATANÆ, M. DCC. LX.
In Ætneorum Academiæ Typographio Apud D. Joachim Pulejum.
SUPERIORUM FACULTATE.





LEXICON TOPOGRAPHICUM SICULUM



VALLIS DEMANA.



Dhuc esse sub judice putatur, unde postremæ huic ex tribus Siciliæ provinciis vocabulum obvenerit. A Dęmonibus enim, quos Ætnæ montis insidere viscera, otiosi homines fabulantur, *Vallem Dæmonum* nonnulli appellant; sed hi ineptiores non injuria a Fazello dicuntur. Quod montes tota insula celsissimos habeat, ad horum eminentiam nominis etymon alii retulere. *Nemorum* plerique, quod præ aliis vallibus, saltibus sylvisque scateat, non absurde nuncupant. A *Demena* seu *Demenna* opido olim, quod hodie jacet, uti prima a Neto, altera a Mazara urbibus, dictam denique affirmant, qui tenui meo judicio congruentius loquuntur. Jonium porro mare, ac fretum Siculum ab ortu respicit; Tyrrheno ab aquilonibus abluitur. Circa mediterranea in occasum, Himera interfluente a Valle Mazara dirimitur; Salsus amnis in ortum de-

decurrens, Symethusque ad eamdem divertens plagam, in quem ille illabitur, ab austro nostram ac Netinam discernit. Sunt itaque mediterranei fines hoc pacto descripti, ab ostio nempe Himeræ in septentriones ad Nebrodis, seu Madoniæ radices, ubi Politium pass. м. xx. Hinc ad Artisinum totidem, a quo per Serlonis rupem, & Salsi margines, ad hujus confluxum cum Symetho pass. м. xxx. unde ad ejusdem fluminis fauces xx. atque, uti aliis arridet, ad Ursinam Catanę arcem xv. cui idcirco duo subrigendi Regia vexilla facultas attributa, veluti inter utramque vallem locatæ.

Quod spectat ad maritima, Catanense littus Cyclopum insula, & scopuli excipiunt, hosque Xiphonium promontorium, vulgo S. Annæ, & Caput Siccum, Acensi ora interposita, Ætnæis eruptionibus horridum. Mascalarum subsequitur littus planum sub amœnissimis Ætnæ clivis, cum Onobalæ sive Cantaræ ostio. Mox Naxi cuspis, hodie Schison, & in sinu celebris statio cum arce, Taurusque mons, cui Tauromenium insidet. Brevis subinde ora veteribus *Copria*, & S. Alexii promontorium, Argenum Ptolemęi succedit; Apertum hinc Messanam usque freti fluctibus tunditur littus, nisi quod duo inter capita Grossum & Scalettam nonnihil sinuatur. Messanensis inde se sistit portus, cui nec parem, neque prępstantiorem Europa ostentat. Pharus vulgo *Laterna*, ubi freti major æstus furit, excelsę & magnificę turri impositę, aliam excipit, quę Pelori cum arce promontorium navigantibus eminus conspicuum reddit. Ora subsequens *Raisculmi* capite terminatur; unde altera ad Mylarum promontorium non parum prominens ducit. Huic oppositum mare Æoliæ insulæ vii. occupant


pant ad Siciliam spectantes. *Calavæ* caput amplissimum subinde Oliveris sinum, nautis formidandum, claudit, qui & Pactarum ab urbe cognomine appellatur; ubi Longanus & Heliconus suas pelago adjungunt aquas. Contra *Calavam* Orlandi promontorium occurrit cum arce supremo vertici inhærente, unde ad Cephalędium, sinuosum littus extenditur, variis amnium ostiis patens, & arcibus munitum, cui Alicuris, & Phenicudis objacent insulæ. A Cephalædi pass. M. XVIII. Himera in pelagum se exonerat, estque ad ostium Vallis *Demanæ* extremum. Ab Cephalædi porro ad Orlandum pass. M. LX. a quo *Calava* XVIII. dissidet. Mylæ inde XXIV. A Mylis ad Falacrium, seu Rasculmum totidem, a quo ad Pelorum XII. Sinus Messanensis XII. quoque M. absolvitur. Messanâ Tauromenium XXX. dissidet, ac XXX. etiam a Tauromenio abest Catana.

Ætna mons omnium per Italiam celsissimus, Nebrodes præterea ab Ætna secundus, Neptuniusque magnam vallis obtinent partem. Symethus amnis inter Siculos cursu, & aquarum copia princeps, ejus abluit campos. Messanam & Catanam sorores duas, uti appellant; nam tertia Panormus venit, ac Regias insuper Civitates XV. sinu amplectitur suo [Catanam publici recentiores libri Netinæ Valli adjudicant; Veteribus Ego deferens, in Demanensi constituo] Opida vero XX. supra C. nec non Municipia L. sustinet. Pontificiis sedibus IV. condecoratur, & publica scientiarum Academia. Naturæ demum dotibus non vulgaribus nitet.

Et de subterraneis ignibus, quorum est Ætna fornax & caminus, unde tot thermalibus aquis, teste Baccio de Therm: tota Sicilia scatet, non multa hic

red-

reddam, infenſos enim illos non raro experitur. Auri certe mineras, argenti, cupri, ſtamni, ferri, ac plumbi operę, niſi in *Demana*, alicubi non effodiunt. Fazellus, qui difficillimam montium & ſaltuum aliis alios continue excipientibus, denſiſſimorumque nemorum habere faciem, ſitoque ſuo eminenti reliquis duabus eſſe elatiorem deſcribit, ac frumenti idcirco iis in locis indigam appellat; De Meſſanenſibus municipiis nihilominus ad XL. circiter paſſ. M. freto imminentibus loquens, ea vallibus, olei, vini, & lanę ſericę feracibus, amęniſque multarum fruticum varietate excultis agellis, nec aquarum indigis referta, accoliſque frequentiſſima deprædicat. De Ætna monte verba ſubinde attexens, ejuſque Regionibus, tophaceas quidem illas, aſperrimiſque lapidibus refertas, affirmat; Verum his in minutiſſima fruſtra temporis vi deciſis, veluti ex crematis lignis arenoſi fiunt cineres, & præpingues. Tota hinc tellus amęna eſt, vinetorum, domeſticarumque omnis generis arborum multitudine fęcunda; Nec tractus deſunt, lętiſſimas ferentes ſegetes. Ut de ortiva montis plaga taceam, ubi Maſcalæ ſedent, diebus hiſce pene ad ſupremos clivos undique conſita, quę Fazelli ætate non admodum culta. Quid quod Homerus ſcriptorum antiquiſſimus Solis Bovum ſtabula in Mylarum agro ſtatuat, paſcuis utpote pinguiſſimis opimo? Hęrei montes Diodoro ab copioſa fęcunditate fructumque & malorum omnimoda abundantia celebratiſſimi, noſtris regionibus paſſim adjudicantur, uti ſuo loco reponam. Totę denique auſtrinę, occidentaliſque vallis plagę frugum feraces adeo audiunt, uti aliarum uberioribus campis, arviſque a fertilitate inſignioribus minime decedant.



ABA-



BACÆNUM Opidum Diodoro, Stephano, Svidæ & Favorino memoratum. Ptolemęo *Abacæna*. Gentilitium inde est *Abacæninus*. De eo Fazellus lib. 3. cap: 4. Dec. 1. qui in agris Syracusanis constitutum perperam colligit ex Diodori lib. 20. Quũ enim locus ibi habeatur *Bigenis*; hunc monumentum illius posse videri subdubitat. Verum Diodorus idem lib: 24. ait: Magonem Pęnorum Ducem Messanensibus bello illato, agrisque illorum pervastatis, exercitu reducto apud *Abacænum* opidum, fędere sibi conjunctum, castra posuisse. Juxta Messanam igitur illud erat, a Syracusana ditione longissime dissitum. Ibidem quoque historicus refert: Messaniis e Zancla translatis, quemdam *Abacęnicæ* regionis locum juxta mare a Dionysio Syracusarum Rege fuisse attributum, in quo illi Tyndaridem ædificarunt. Tyndaris in agro *Abacænino* juxta mare, sub Dionysio fundata, ad Sicilię septentrionalem plagam, non longe a Messana stetit. Denique lib. 19. *Abacænum* opidum Mylis Messanensium castello finitimum dicit; Messanenses, & Abacęninos inter præcipuos, qui e Siculis ad Amilcarem Pęnum defecerunt, enumerat, & lib. 20. in Eclogis *Abacæninos* & Tyndaritanos Hieroni Regi adhæsisse testatur, eorumque amicitiam Agathoclem magni fecisse. Ex his Cluverius Bonfilio adhærens lib. 2. cap. 12. vetus, ac satis celebre opidum *Abacænum* infra pręruptum collem, ubi Tripis hodie sedet, stetisse affirmat; sub hoc enim monte Fazellus lib. 9. cap. 7. męnia magnæ urbis, & uti apparet vastissimæ, magnique ambitus, sed usque ad fundamenta dirutæ, vestigia, lapi-

lapides quadratos, columnas infractas, & arcus postratos passim cerni affirmat; quænam tamen apud majores fuerit, sibi incompertum testatur. *Eorum sententia*, subdit Cluverius, *qui opidi Abacæni monumenta apud Tripium hodie extare opinantur, merito ego accedo, Diodori maxime, atque Ptolemæi authoritate inductus; quidpe hic opidum id collocat in mediterraneo supra ostium Heliconis amnis, quem nunc Oliverium esse supra lib. 2. cap. 5. docui.*

Abacæninum agrum vastasse Augustum ex Apiano colligit idem Cluverius, antequam Messanam circumvallasset, ait enim ille Bell: Civil: lib: 5. *Post hæc Palæstenorum agrum vastavit, & Lepidus factus est ei obviam frumenta colligens; moxque ambo Messanam obsederunt.* Qui enim Palæsteni? hinc corrigendus Appiani locus in *Abacęninos*, uti ipsum historiæ & Chorographiæ filum diserte indicat. Bochartus a Punica voce *Aboe* deductum *Abacæni* nomen dicit; sonat enim *Aboe*: *Attollere*, & *Abacæno* in editis olim locis locato optime congruit. Sunt qui inter Messanam & Tauromenium statuerunt, alii in Agro *Sollerio*, sed falluntur. In hoc enim postremo aliud opidum stetit.

ACESINES Fluvius, *Asines* aliter, vulgo hodie *Frigidus*.

ACIS AQUILIA Civitas, *Culia* passim, & *Acis Regalis* hodie; quòd, quum unum esset, ac pręcipuum ex Municipiis *Acensis* civitatis, cęteris distractis, Dynastisque concessis, sub Regio Demanio, uti appellant, perstitit, & locum cęteras inter Regii juris, xxxiv. in publicis Comitiis obtinuit. Nomen Bonfilio & Maurolyco authoribus, ab *Aquilio* Romano Consule invenit. De *Acis* quippe vocabulo alibi. *Hic* enim, ait

ait Bonfilius, Servili bello confecto, Victoriæ monumentum, loco, qui dicitur *Culia*, Castellum excitavit. *Vicus juxta Catanam*, scribit Maurolycus, *sub Ætna monte, Aquilia dictus, ab Aquilio victore creditur fuisse Castrorum locus*. Dixerim Ego: Vacationem militibus emeritis, tunc *Aquilium* concessisse, qui hoc in loco, ad habitandum delecto, Coloniam statuerunt. Sebastianus vero Cirellus in *Aci Antiquo*, instauratum oppidum ab *Aquilio* affirmat, quod antea extabat. Incrementa sane ultimis elapsis sæculis recognoscit, circa Caroli Cæsaris ævum; Quum enim Messanensis via, qua scilicet Catana Messanam tendebatur, Ætnæ eruptionibus labefactata, per *Acim* institui cœpisset, ac utrinque permeantibus *Acis* occurreret, factum, uti in amplum opidum vicus excreverit, & ex proximis municipiis eò mortales habitatum se contulerint. Publica quippe & frequens via Messanensis per opida magis occidua sternebatur; hinc ex illis unum *Viagrandis* dicitur, & hospitatoriæ tabernæ complures, ex vestigiis hodie cognitæ ad itinerantium commodum passim ibi aperiebantur. Non inficior jam ante & situs opportunitate, maris proximi commodis, civium multitudine, ædificiorumque magnificentia reliquis præstasse; hinc civitatis Magistratum, ad quem ex singulis vicis assumebantur, eò conventus suos habuisse tradunt; verum parochialia jura *S.* Philippi municipium habebat, quod forte vetustior esset Ecclesia, uti suo loco reponam.

Occupat *Acis Regalis* Ætnæ montis radices ad ortum hibernum, quà Jonio mari abluuntur; & colli imponitur ab eadem cœli plaga prærupto, ab aliis vero, circumjacentibus collibus conjuncto. Hinc pro excelso situ Scala ad littus usque arcuato opere, &

conſtrato lapide non levi impenſa extructa, deſcenſum ſatis declivem parat, cujus pars ſuprema *Toccus*, locus nempe munimento firmatus, vulgo dicitur; ima vero ſtatio, undis utpote percuſſa, *Acis Scala* nuncupatur. In ea onerariæ minores naves ſe recipiunt; nec humiles nautarum deſunt caſæ, horrea, Eccleſia ruralis, atque ad æſtivales delicias civium ædes. Circa ſtationis dexteram ingens *Aquarum Grandium* emergit fons, quas *Acis* fluminis eſſe ſcriptores paſſim tradunt; ſed hanc eorum nutare opinionem de eodem flumine ſcribens, oſtendam. Hauriunt ex ipſo fonte cives, & candefaciendis lineis telis utuntur, in eas enim texendas maxime incumbunt, ac per inſulam non levi quæſtu diſtrahunt.

Supra *Toccum* leniter civitas ſubrigitur magnificis, comptiſque ędificiis cum publicis, tum privatis, ampliſſimis viis, & areis, ſeu foris diſtincta hoc ordine: Maritimæ laxiori viæ forum præcipuum, ac majus reſpondet, Principe templo & hoſpitali Domo ad aquilonem, elegantiſſima S. Petri Eccleſia ad ortum, Magiſtratus baſilica circa meridiem, aliiſque fabricis & Monialium cęnobio ex occaſu vallatum. Huic ampla etiam via intermedia, alterum ſuccedit forum, minoris quidem ambitus, ſed ob S. Sebaſtiani ędem omnino ſuſpiciendum. Ad ortum hinc publicę annonę promptuaria in depreſſiori ſolo, & ad meridiem deſcenſus patet difficilis, ſed per intervalla longe productus, & acclivis. Ibi potior pars opidi Carmelitarum cœnobio clauditur, in cujus aream præcipuæ & rectæ incurrunt viæ. Venale forum in occiduis, rerum omnium ad vitæ ſubſidium affluentia refertum excipit Odigitrię Parochia; nec inde procul pauperum virginum Conclave. Vici ſubſequuntur S. Martini, Jeſus & Mariæ, S. Jo-

annis

annis, & S. Michaelis, ab Ecclesiis denominati. At ubi solum elevatur in tumuli vertice Minorum Observantium Conventus undique conspicuus sedet. Sub quo Prædicatorum Fratrum Monasterium, Sanctimonialium Parthenon, & S. Joseph Parochialis Ecclesia nitent. Reliqua ad aquilonares plagas civitas biniis rectis viis majoribus distinquitur ad Messanæ portam, atque ad Deiparæ sub Directionis titulo Ecclesiam. Capuccinorum Asceterium oræ maritimæ impendet, occupantque post templum maximum, Clericorum Minorum, & Infirmis in agone Ministrantium primæ ædium auspicia, aliæque privatæ domus, non angustam ortivam regionem. Supra *Toccum* denique, unde incępit descriptio, Sanctarum Manium delubrum Parochiale videtur.

Opidi facie sic adumbrata, ad singulas descendo partes memoratu non indignas. Princeps igitur & Parochialis ædes portam ex albo Ligustico marmore, columnis, & statuis affabre concinnatam, æris campani turrim, omnemque internum prospectum elegantem exhibet. In Venerabilis Eucharistiæ sacello sepulchrum extat Octavii Brancifortii Catanensis Pontificis. Aram maximam, Deiparæ Annunciatæ Tutelari dicatam, chorus ambit, in quo insigne Canonicum Collegium ab anno MDCL.... Divinis officiis intendit. B. Veneræ Vir: & Mar: præcipuæ opidi Patronæ, cum lipsanis, simulacro, & divite thesa, Capella inspectionem meretur. Heroidis porro hujus VII. Kal. Augus. solemne festum cum celeberrimis tota provincia nundinis ingenti pompa ac pietate incolę agunt. SS. Petri & Pauli Ecclesiæ frons & turris duplici columnarum ordine ad omnem pulchritudinem instruitur, in qua laicorum sodalitium, clerique conventus

tus, ſacros ritus feſtis diebus cum pompa abeuntis, habetur, & Divina Euchariſtia aſſervatur. Huic non decedit S. Sebaſtiani, cujus proſpectus, tholuſque, ſupra quam credi poteſt magnificenter effulgent; Ibi etiam ſodalitas & clerici addicti ſacris intendunt, ac Divina cuſtodiunt, Hypogęumque eſt religioſum. Viget porro cives inter pro duabus hiſce Eccleſiis, earumque Tutelarium cultu pia ęmulatio, atque in celebrandis menſe Januario illorum ſollemnitatibus, non levis omnium ordinum religioſa contentio habetur.

Jam vero præter majorem, IV. ſunt Parochiales: S. Mariæ de Odigitria in opido medio; S. Michaelis ad hibernum occiduum ſolem; S. Joſephi ad ſolſtitium æſtatis occiduum; & Purgantium Animarum ſupra Scalam ad ortum. Suburbium a *Cavall'aris*, vulgi voce *Quartiere*, circa meridiem poſt Carmelitarum Eccleſiam, colli inhęrens ſupra littus impoſito, ſua gaudet Parochia S. Catharinæ ſacra: *Plataniæ* vetus regio *Acis* pars computatur, & paſſ. circiter M. in occaſum diſſita, cum Parochia S. Mariæ de Monte Carmelo dicata, proprio inſtruitur clero, cujus incolis jus competit, ut locum in Magiſtratu habeant. Religioſas porro familias præcedit tempore illa Carmelitarum, quorum ſub S. Marię de Roſario nomine aliquando, Pirro authore, floruit Eccleſia. Sed Montis Carmeli paſſim ſubinde dictam, Deſiderius la Placa anno MDCXIX. fratribus, quos ipſe reformavit, & Primi Inſtituti dixit, incolendam tradidit. Minoribus de Obſervantia ſub idem tempus S. Blaſii in tumulo occidentali data eſt, cui aſceterium adhæret ex præcipuis provinciæ, educandæ & ſcientiis imbuendæ juventuti deſtinatum. Capuccinis ab anno MDLXXIV. ſitus amęniſſimus ſupra oram maritimam obtigit. Prædicatores

Fratres post elapsi sæculi medium frequenti loco sub S. Dominici titulo degunt; ædificia splendorem augent, alumnorum præstantia decus non leve conciliant, quibus tradendi sacras literas *Jacensi* clero cura incumbit. Petrus Marrabinus sua omnia condendę Clericorum infirmis in agone Ministrantium Domui addixit, ædemque sacram Divæ Mariæ Gratiarum condidit. Thomas de Schiros ex Minoribus Clericis Regularibus, suorum coloniam *Acim* deducere cogitavit, virtutisque opinione, ac oris facundia, qua egregie pollebat, operi non levia auspicia, ædificata S. Joanni Nepomuceno Ecclesia, dedit, quod brevi promovendum speramus. Moniales in S. Agathę claustris sub Benedictina regula in centro degunt. Filiales Ecclesię VIII. supra XXX. enumerantur, quas inter nitet illa SS. Trinitati sacra. Pauperibus denique Virginibus conclave paucis ab hinc Antonius Russus constituit; pro ęgrotis Hospitalis domus an: MDCLX... coaluit. Extra, circa meridiem Ecclesia Christi Domini e Cruce pendentis, cujus est imago prodigiis celebris; ad septentriones vero in tumulo altera sacra ędes a Calvario appellata, videntur; utraque piis fidelibus feria præsertim VI. frequentissima. Ad III. lapidem in hibernum occasum *S.* Veneræ puteus, seu aquæ sulphureæ fons, cum rurali proxima Ecclesia, & officinis thermalibus, hodie dirutis; necnon æquali pene distantia ad caurum *S.* Mariæ de Loreto Eremitarum domus, ubi Deiparæ imago cultu præcipuo habetur.

Prætorium ad majorem aream ædificiis nobile consurgit, quò Magistratus conveniunt. Privatæ civium domus variis in locis spectandæ; artium officinæ frequentes; unde inter cęteras insulæ civitates, *Acis* non ultima, quin & præcipuis etiam conferenda constituitur.

stituitur. Subest in spiritualibus Catanensi Episcopo ejusque vices gerenti. Regimen porro civicum est penes Patricium, Juratos Patres, Criminum Pręfectum, Syndicum, ac Judices, juxta Regni sanctiones. Dudum Dux Armorum a Rege designabatur, qui olim ex Patriciis Catanensibus assumptus. Agri vero pinguissimi, utpote perpetuo irrigui, & spatiosi, abunde lini, cannabis, leguminum, olerum, fructuum, vini, frugum, & lanæ sericæ præ cęteris divitis, ac feracis, census, vectigalia, decimas Procurator, vulgo *Secretus* curat, quem Dynastæ de *Vigo* Januenses constituunt; ad hos enim jura hujusmodi, ob illatam in Regium ærarium congruas auri summas, spectant. *Acis* stemma Castellum refert, mari imminens, cum scopulis circumpositis. Tres ostentat turres Castellum, in quarum una vexillum, in altera Leo se efferunt. *Amplissima* titulo in libris Regiis venit. Ejus & Municipiorum Pedites quincenti, ubi metus ab hostibus imminet, sub Tribuno, ejusque Legato, ex Catanę Patriciis, ab ejusdem urbis Senatu designatis, stipendia faciunt. Incolę olim sęculo XVI. censi fuere 6581. in laribus 1744. Anno subinde MDCLII. lares 2127. cives 8805. descripti; decurrentis anno XIII. foci 2945. incolæ 11601. postremo 13383. computantur. Caput est denique Comarchię, opidisque XII. jura dat.

Quum vetustæ Xiphoniæ *Acim* subrogatam Scriptores gentici affirment, *Acis* Pastorem ob Galatheæ amores Poetis celebratissimum, vel civem suum, vel authorem evulgant. Sed de Xiphonia suo loco. De *Aci* Pastore post pauca loquar. Christianis temporibus, ac primo Ecclesiæ sęculo ortu suo *Acim* nobilitasse Venerandam Virg: & Mart: Græcis Parasceven quoque tradunt. Divæ hujus hinc Vita prodiit, Anselmo

ſelmo Graſſo authore, in qua conjecturas non pauci momenti ad id evincendum congeſtas leges. Noſtris diebus Martinus Maria Sacerdos genere ingenuus floruit, qui inculpatę vitę exemplis, & lucrandi animas ferventiſſimo zelo, eximiiſque aliis virtutibus claruit. Ejus exuviæ in S. Martini, quam ipſe fundaverat, in ſumma frequentia illatæ ſunt anno MDCCXX. In Sicula Bibliotheca commendantur a ſcientia, editiſque libris Anſelmus Graſſus Ordinis Capuccinorum Orator & Hiſtoricus, de quo dixi, Benedictus Barbagallus Juris-conſultus egregius. Vulgavit: *Praxim noviſſimam & Theoriam Ritus Magnæ Regiæ Curiæ Siculæ*. Archangelus Scandura Capuccinus, & Archangelus Tropea Minor etiam de Obſervantia in ſacris literis eruditi, & Concionatores eximii. Cęleſtinus Graſſus Tertii Ordinis S. Franciſci S. T. Magiſter in Neapolitana publica Academia Sacrorum Canonum Anteſignanus. Athanaſius Benedictinus, cujus extat *De Regis Jacobi Adventu Catanam*. Eraſmus Sacca Poeta Latinus & Medicus non vulgaris. Scripſit de Febris varia indole & curatione carmine exametro. Petrus Paulus Platania Poeta, & Vincentius Hjeremia Mathematicus, ac Machinator celeberrimus, cujus opera Clemens X. Rom: Pont: uſus eſt. Reliquit ingenii ſui artiſque monumenta, deceſſitque apud ſuos octogenarius. Noviſſimis annis Sebaſtianus Vaſta Cirellus vivebat Sacerdos, Rhetor, & Poeta ingenioſiſſimus, cujus extat *Acis Antiquus*. Celſus Graſſus præterea Olivetani Ordinis Abbas; Marianus Leonardi ex Prædicatoribus, Theologus profundiſſimus, & linguarum peritia illuſtris, morum probitate, & innocentia vitæ illuſtrior; Dominicus Cavallarus ejuſdem inſtituti Magiſter, zelo, prudentia & doctrina nulli ſecundus, Ge-

neralis

neralis Provinciæ *Siculæ* Inſpector, vivit. Sed jam de Municipiis.

ACIS S. ANTONIUS Opidum eſt ſupra *Acim* Aquiliam circa æſtivum occaſum in æquiſſimo campo ſitum, amęniſſimis, atque fructiferis undique agris vallatum, incoliſque refertum, qui in proximo olim vico *Caſalotto*, nunc diruto, degentes, circa ædem *S.* Antonio Abbati ſacram, ſub ſæculi XVI. exitum convenere, auctique in dies juſtum opidum conflarunt, quod cum aliis Principatus inſignibus MDCLXXII. Caroli II. Regis privilegio eſt decoratum. Habet circa meridiem vicos Maucerim, qui ſua gaudet Eccleſia, & Vallem Viridem, ubi Parochialis eſt ędes, uti inferius expendam, a S. Antonio diſtincta. Hæc medium ferme opidum occupat, ſub Epiſcopi Vicario, qui vicis aliis commemoratis pręerat. Ab ea ampliſſimo & recto itinere, Dynaſtæ palatium diſſidet, quod toti undique regioni dominatur, jucundumque ad littus uſque proſpectum aperit. A Palatio haud procul S. Mariæ de Mercede Fratres S.Dominicę Virg: Eccleſiam incolunt, quibus cœnobium ædificavit, dotemque congruam *Stephanus Riggio* attribuit. Primus hic, enunciato anno *Acis S. Antonii* Princeps enituit, Regiſque a cubiculo, ac Panormi II. Prætor, ex Dorotea Branciforte *Aloyſium* alioſque filios obtinuit, de quibus dicam. Generis ſui, & Siciliæ totius decus *Aloyſius* jure audiit. Primariis enim in patria, in Hiſpania, Italia & Galliis muniis, ac legationibus perſunctus, univerſę Europę innotuit. Genuit cum Catharina Gravina *Stephanum* inter Siciliæ utriuſque Regentes hodie adſcitum, cujus, & Patris laudes inferius reponam. De Cenſu opidi poſt S. Philippi notitiam.

ACIS BONACCURSUS. Vide *Bonaccurſi*.

ACIS

ACIS CASTELLUM in prominenti undique excisa rupe ad ortivum insulę littus, inter Cyclopum scopulos, & Ongiæ stationem, medium Catanensi & *Acis* oræ sedet. Aretius *Ad eurum*, ait, *Arx in scopulo, quæ cum suo pago de nomine Acidis fluminis, Acis nuncupatur*. Rupes ferruginei coloris, quales sunt proximi colles, & subjecti littoris ad scopulos usque, & Insulam cognominem cautes, naturæ opus omnino dicenda, ab Ætnæ eruptionibus, vulgo Xara, prorsus diversa; eidem hinc rupi ab austro moles lapidum, quos olim Ætna eructavit, adhærent, discrimenque non leve textura, & colore intuentibus exhibent. In collibus denique, quos memoravi, circumsurgentibus, lapides in tumulos congesti, ferri pondus indolemque referentes, lapidis specularis frustra, montana testacea, & his similia sępissime advertuntur, quę inter Ætnæ egestiones nusquam occurrunt. Subrigitur cętero saxea moles, cui Arx inædificata, in imis partibus, quæ circa ortum fluctibus tunduntur, concava, circa supernas idcirco ex eadem plaga mari impendit, ab aliis regionibus ripida; nisi quod in austrum Ætnęi lapides circa radices illi adhærent. Scala cęmentitia in aquilonem aditum præbet, sed inter hanc & portam pons sublicius, qui data occasione, & per noctem catenis ferreis elevatur, ipsamque portam munit. Muri circum concamerationes substinent, quarum infimæ cisternarum habent usum; medię ad ęstiuum ortum honestis & ingenuis viris criminosis custodiendis hodie deputantur, & Arcis olim dominos pręfectosque excipiebant; mox pro tormentis bellicis suggesta, ac pro sontibus, reisque capitis carceres. Suprema demum loricata turris stationaribus militibus addicta, sub qua nuperis annis ingens rotunda scrobs

in vivo excisa lapide detecta, in quam e supernis partibus penetrabant veteres; sed ejus usus omnino incertus.

Quonam fuerit ævo Arx hæc fundata prodit nullus; vetustissimam tradunt, & Saturniam appellatam nonnulli dicunt cum Carrera & Archangelo. Loci sane opportunitas id suadet; antiquis nempe temporibus, quum ad littora munitiones institutæ; huic nostræ rupi *Castellum* fuisse inædificatum, ubi securum contra hostiles incursus præsidium haberent, & asylum; quod ab *Aci* proximo flumine, unde circumpositę regioni est nomen, nuncuparunt. Sub Arce in occasum & septentriones opidulum superioribus sæculis coaluit, cum sacra parochiali æde S. Mauro Abbati dicata, & altera S Josepho addicta, parum ab hinc incolarum industria condita, haud procul a *Castello*. Męnium circa easdem regiones pars adhuc perstat cum porta, quę vetustatem præfert. Northmannorum ętate Pirrus solum extitisse *Castellum* opinatur. Rogerius enim Comes, illum Catanensi Ecclesiæ attribuens totumque amplissimum agrum, vici alicujus non meminit. Catanensium Pontificum beneficio variis subinde proceribus concessum, ad *Alagonios* tandem devenit, sub quibus, & pone *Castellum* & alibi in eodem agro opida creverunt, uti inferius reponam. Possidet hodie clientari jure *Joseph Emmanuel Massa*, Christophori filius, Joannis Andreæ nepos; hic enim anno MDCXLVII. ab Regiis emit ministris, cum aliis Catanę municipiis, & reluctante licet, omnemque lapidem movente eo, qui pro Rege tunc illi præerat, ne ab *Demanio* scinderetur, in feudum obtinuit, cum jure gladii, & Ducatus prærogativa, quam anno MDCLIV. Carolus II. indulsit. Sedet hinc in Comitiis loco XIII. Alios *Castelli* Dynastas infra habes Censi

Censi sunt ejus lares & incolæ cum aliis municipiis; sed sæculi decurrentis anno XIII. illorum numerus 120. computatus, cum animabus 521. quæ novissime ad 824. excrevere. Ager pascuis felix, Cereri & Bacco parum amicus audit; paucis ab hinc vinetis nihilominus alicubi consitus, non inanem prorsus colonorum industriam reddit. Mare piscosum experiuntur nautæ, qui non pauci numero in opido degunt.

ACIS CATENA ab æde sacra Deiparæ Virginis sub eodem titulo, nomen opidum sortitur, quod hodie veluti præcipuum, ac frequentius ob longum in eo Dynastarum incolatum, habetur. Sedet sub S. Antonio in parumper declivi solo, ad meridiem & occasum vergente, & ab *Acensi* civitate III. pass. M. dissidet. Tribus constat Parochiis: S. Jacobi in clivo ad aquilonem, S. Mariæ de Catena, ubi solum æquatur, & S. Mariæ de Consolatione circa occidentem, sed harum est mater secunda, unde opidum vocatur; fulgetque tum ędificiorum elegantia & amplitudinę; nam pronao, & alis, absidibus, ærisque campani turri, integro S. Candidi Martyris opidanorum Patroni corpore in arca divite, & marmoreo Joachimi Riggio, viri olim eximii, insigni sepulchro ornatur, tum Canonico Collegio, quod hujus sęculi anno XXX. Antonius de Urso dote auxit, & Petrus Galletti Catanensis Episcopus instituit. Huic via intermedia & ampla satis, constrata area, magnifica adhęret domus, Regia urbe omnino digna; aulis quippe laxioribus, & conclavibus, necnon Ecclesia ad omnem elegantiam instructa, ornatu divite, peristomatis nempe, scriniis, tabulis, statuis, & vasis nitens, excipiendis cultu splendido viris principibus dudum continuo patebat. Eam jussit *Aloysius Riggius* Campifloridi Princeps, ex legatione

Regis

Regis Hispaniæ ad Gallos, in Siciliam redux, cujus ingens animus moliendis ubique hujusmodi eximiis operibus nusquam explebatur,

Est in eodem opido ad ęstivum ortum Minoritanis Reformatis aptissimum cęnobium sub S. Antonii titulo anno MDCLXXXIX. ab Stephano Riggio fundatum, ad cujus fores lata sternitur area. In occiduum quoque solem sacra ędes Divi Josephi, cum splendida ex lapide scala, Abbatis Ignatii Riggio opibus extructa. Prope pauperibus Virginibus Conclave, quod Catharinæ uxoris testamento Aloysius mox laudatus extruxit, quod brevi explendum Stephani filii ex asse hæredis opera expectamus. Aloysius quippe in suprema palatii sui contignatione interim Parthenonem curavit, quo puellas parentibus orbatas coegit, easque passim matrimonio locandas juxta defunctæ conjugis piissimam voluntatem jussit. Ad ballistę jactum post S. Josephi, Deiparę de Consolatione vicus cum parochiali, de qua dixi. Nec inde procul ingens perennis aquæ vena erumpit, quę subjectos agros, summo cum colonorum proventu fęcundant. De Censu incolarum, & Dynastis infra . *Catenæ* Princeps *Aloysius Riggio* senior Carolo II. indulgente, primus renunciatus fuit MDCLXXXI. quem *Stephanus* excepit, & hunc *Aloysius* II. cujus munere *Antoninus Riggius* titulum accepit MDCCVIII. Fulsit hic a Regis rationibus Magister, Regni Quęstor, a prudentia & dexteritate commendatus. De ejus heredibus vide *Catena Nova* tom. i. p. 2.

ACIS FLUVIUS, cujus est fabula notissima; Pastor enim egregię formę quum esset, & Galateæ gratissimus, a Polyphemo Cyclope, qui Nympham deperibat, deprehensus, ingenti saxo oppressus interiit; ubi enim illam cum proco loquentem Cyclops vidisset,

ſet, e proximo monte Ætna molem evulſam contra fugientem intorſit, eumque obruit, qui a Diis idcirco Galateæ precibus in amnem converſus revixit. Hæc ex vetuſtis Mythologis Ovidius & Silius; quorum ille Symethium vocat heroem & ex Fauno, Nymphaque Symetide cretum affirmat; alter vero fugientem paſtorem in tenues liquefactum aquas hoſtem evaſiſſe ſcribit, ſeque Galateę immiſcuiſſe; Nereis enim hęc, ideſt Maris Nympha quum eſſet, ubi Cyclopis vocem audivit, pavefacta vicino ſub equore ſe merſit. Alibi in mea *Catana Illuſtrata* ſub fabulę putamine nucleum veritatis hiſtoricę contineri docui, & Polyphemum gigantem, ideſt, Ætnam, ſaxeis ſuis ignitis molibus *Acim Fluvium* ita oppreſſiſſe, uti ſolum ejus rivulos ſub enormi rupe juxta mare permiſerit exilire, & *Acis* antiquum nomen retinere. Rupem hanc illam eſſe ibidem vulgavi, cui *Acis* civitas inſidet; rivulos vero *Aquas Grandes* nunc appellari prope littus emanantes. At enim in Notis ad Fazellum Cluverio deferens, *Acim Fluvium* aquis, ad *Regitanam* ſub nemoroſa rupe item exortis, coaleſcere ſtatui, quę per varias venas derivatæ terras circumpoſitas fęcundant, & molas triticeas haud procul a fonte, & circa *Baracchæ* vicum complures, ad littus uſque convolvunt, quod a Molendinis idcirco appellatur; tandemque ad occidentale Xiphonii Promontorii latus ab Jonio mari excipiuntur.

Cętero de *Aci Fluvio* habent veteres ſcriptores: Heſychius: Apud *Catanam Acis*, ideſt in littore, quod celebriori vicinę urbi adſcribit. Vibius in Catal: *Acis ex Ætna monte in mare decurrit; ex cujus ripis Cyclopem in Ulyſſem memorant ſaxa egiſſe*. De etymo Theocriti Scholiaſtes in Idil: 1. *Acis Fluvius Siciliæ*

ſic

fic dictus, quia fluenta ejus sagittæ sunt similia. Idem Poeta *Acidis sacram undam* appellat; Silius tenues *dulcesque latices Acidis* promit; Ovidio *Acis herbifer dicitur*. Solinus cap. 11. *Acim quamvis Ætna demissum, nullus frigore antevertit*. Quod etiam Theocritus expresserat, *Gelidum* illum, seu *Frigidum* vocans. Ob id, advertens Fazellus, alium esse amnem in hac ora *Frigidum* vulgo appellatum, Acesinem veteribus, sive Asinem, in Mascalensi decurrentem agro, hunc esse *Acim* perperam vulgavit, confunditque utrumque, vel ejusdem esse nominis tradit. Cum Fazello Aretius, Carnevalis & Goltzius falluntur, uti alibi dicam. Cluverius denique exactissime descripsit, sed quod, littori ubi propinquat, in vicum cognominem dilabitur, neutiquã procedit; Nam *Acis* tota quamvis sit regio, quam abluit, sub *Acis* vocabulo in ejus cursu vicus est nullus. Huc sepulchralem referam inscriptionem, quam in Siciliæ tabulis apocripham Gualterius dicit, ab *Aci* positam, his, uti fabulantur, literis expressam: *Diæ Ongiæ, Saturniæ, Ætneæ, Deorum Matri, Filiæ, Uxori, Sepulchrum, Templum, Et Arcem, Acis Fauni Filius, Pici Nepos, Saturni Pronepos, Latini Frater*.

ACIS INSULA Consule *Acis Scopuli*.

ACIS S. LUCIA Opidum inter Aquiliam & Catenam, sed huic propius ad ballistę nempe jactum dissidens. Parochia sub Virginis cognominis auspiciis Canonicorum cetu ab anno MDCCXXXIV. decorata, visu non indigna est, & æquo solo cum opidanorum ædibus gaudet.

ACIS S. PHILIPPUS Opidum cum eleganti Ecclesia & æris campani turri; cui jura parochialia, vetustis temporibus, a prima nempe post Sarracenos

sacra

ſacra æde inſtituta, attribuiſſe Catanenſes Epiſcopos ſupra reliqua municipia, tradunt. Capſulam hinc ex ebore, dimidii anaglyphi opere elaboratam oſtentat, ubi Divinam Euchariſtiam ad ęgros pro viatico Parochus deferebat. Sedet ad collis amęniſſimi radices, occurritque primum a Catana urbe venientibus per Nizetim vicum; ampla & recta via diſtinctum, quam Parochialis *S.* Philippi excipit ædes, Canonico Collegio decorata, Catanenſis Epiſcopi indultu, Philippo Roſa dotem alumnis MDCCXXXI. deſignante. Supra Eccleſiam in clivo vicus de *Pavoniis*; circa ſeptentriones vicus alter de *Finoclaris* cum ſacra ęde via publica, quæ ad Catenam ducit; in auſtrum *Rey:ana*; in ſupremo demum vertice ad occaſum S. Annę Eremitarum domus.

Opida hæc communi voce ſub *Acis* titulo expreſſa, S. Antonius, Catena, S. Philippus, & S. Lucia cum vicis ſimul cenſebantur; ſed prima eorum deſcriptio ab Aquilia diſtincta anno MDCLII. elucet, quo lares S. Antonii & S. Philippi cum adnexis 1746. incolæ 6994. adnotantur. Sęculo decurrente 1861. foci, opidani 7669. veniunt.

ACIS SCOPULI, *Cyclopum* veteribus, vulgi voce *Faraglioni*. Inſula præterea, & in oppoſito littore Viculus *Trizza*. Sunt illi acuminati, adeout Statio *Sylv: lib.* 5. *Ardua ſaxa Pyramidum* dicantur; ac veluti per gradus magnitudinis inæqualis; nam primus humilior, cui elatior ſuccedit alter, tertiuſque triplo major attollitur. Hos contra Uliſſis claſſem, Polyphemum gigantem intorſiſſe fabulantur; re tamen vera naturæ opus videntur & ſaxea naturali mole compinguntur. His ſuccedit *Inſula Acis*, aliter *Trizza*, ſeu ſcopulus prægrandis, qui paſſus circiter CCC. per

circuitum habens, in altum subrigitur, & proximæ stationi, ab austrinis ventis & ab euro tutum reddens sinum, præclare consulit. Sinus porro adeo profundus Aloysii Riggii Principis opera, sæculo hoc ineunte, evasit, ut majores etiam naves excipiat. Fuit olim scopulus arce, aut munimento firmatus, adhuc enim rudera perstant in supremo illius vertice, portę limen, & cisterna, ac circa occasum crypta videtur, ubi fama est solitarium vixisse, vitæ innocentia conspicuum, quæque hominis commodè capax, portam in septentriones habet. Ad meridiem veluti specula in saxo etiam excisa, subjectum mare prospectat. Scopulus cętero non unius indolis lapide constat, sed est tofaceus alter subobscurus; alter nigrescit omnino, & intermixtos habet lapillos pellucidos, quos nostri Beryllos appellant. Circa aquilonarem plagam diffisus est, fortasse ex terremotu; in ortum planus fluctibus operitur. Circa hujus sæculi annum XLVIII. laudatus Aloysius cuneorum, & pyrii pulveris vi partem rupis disjiciendam jussit, ut a ventis magis immotum redderet sinum; sed maris impetus incęptum opus concussit, ac devastavit.

Jam ad littus australe ex quadratis lapidibus parvam molem idem Princeps ad nautarum commodum eò frequentissime appellentium, extruendam, augendumque opidulum curavit, & elegantem domum sibi & nobilibus hospitibus constituit; duplici demum propugnaculo oram munivit. Pro nautis, incolisque Parochia sub S. Joannis titulo assurgit, computantur enim foci ad 60. capita 205.

ACIS VALLIS VIRIDIS. Vide *Vallis Viridis*.

ACIS XIPHONIA. Prodiit elapsis annis urbis hujus veteris typus exactissimus, peculiaribus, quibusque

que ædificiis indicatis & expressis, ex Orophonis cujusdam descriptione dubio procul examussim exaratus. At enim alibi, quum Scriptoris hujusmodi nec fictum, nec pictum opus apud veteres usquam extitisse, ostenderim, nec otiosi hominis tantum, sed crassę prorsus Minervę putidum fuisse Inventum, nemo vel leviter coodatus non advertat; lectoribus meis minime imponam, illumque præteream; & quæ de *Xiphonia* conjecturæ extant, seu de vetusta *Aci* quid statuendum, brevissime promam. Valeriæ Romanæ familiæ *Acisculum* cognomen ex hac nostra regione obvenisse tradunt eruditi Ursinus, Gualterius, & Augustinus in Dialog: Gentis hinc ejusdem, inter primas Reipublicæ, numismata exhibentur consularia complura, in quibus Sirenes, maris nempe Siculi monstra, expressæ spectantur, quarum fuisse sedem circa proxima littora, Poetæ passim effingunt. Ursini verba Romanas familias ex numis describentis sunt: *Ad Aciscolos primi tres denarii pertinent, in quorum secundo Siren, a C. Valerio impressa fortasse fuit, ut & Aciscolos Acidis fluvii, atque ejus in Sicilia regionis, quam Sirenes tenuerunt, accolas aliquando fuisse; indeque profectos Sabinum agrum primo tenuisse, deinde Civitatem Romanam adeptos esse. Acim quidem fluvium ex Ætna monte*, ΑΚΙΔΟΣ, *hoc est: Teli instar, unde dictus est, decurrere tradit Eustathius in Dionysium. Ejus vero accolas Valerios fuisse, atque ab eo Aciscolos appellatos credendum est*. Quum Valerii Romam sub Tatio Rege e Sabinis migraveriut, posset *Acis* origo, ante urbis conditum, vel circa ex his Ursini statui. At enim non dissimulaverim, varia fuisse Gentis Valeriæ cognomina; nam Flaccos, Messalas, Catulos, Publicolas,

Levinos, Corvinosque, Valerios lego, qui fane diversis ætatibus floruere, postquam Reipublicę Consulatus tenuerunt. Hinc Acisculi, qui ad Acis regionem sedes statuerunt, haud quidem *Sabinenses* certe putari possunt; sed postquam Sicilia Romana evasit Provincia, veluti suburbana, incolendam illam sibi assumpsisse dicendi, & *Acensem* præ cęteris delegisse. Ceterò, Valerio Messala Duce, Catana sese Romanis adjunxit; Carrera idcirco lib. 3. cap. 18. tom. 1. tunc temporis Valerios, agri amęnitate illectos, ad Acis ripas consedisse opinatur.

Nonnulla quoque priscæ ætatis monumenta ad *Nizetis* usque vicum, veluti sepulchra, lateritia rudera, statuarum fragmenta, diotæ, vasculi, lucernę, & ingens præ aliis ædificii moles, in agro de *Piris*, secus publicam viam, quæ ad *Portam* vicum ducit, nigris, quadratis lapidibus convestita, de antiquo, & non ignobili opido hac in regione, nos admonent, quod vicatim, uti conjicio, olim etiam, sicuti & hodie, habitabatur. Quod *Acim* habuerit nomen a proximo celebri flumine non inficior, & quod *Xiphoniæ* a subjecto promontorio vocabulum præterea tenuerit, ultro profiteri non ambigo. Alia, quæ circumferuntur, ex Orophone præsertim, anilibus accensenda fabulis, ac prorsus relatu indigna existimo.

Ut hic demum *Acis* notitiis summam imponam manum, Dynastas remanet in medium proferre, quibus clientari jure addicta illius municipia novi. Rem autem ab initio exequar: Exactis Sarracenis Rogerius Comes Catanensi Episcopo Ansgerio *Acensem* omnem agrum, alia inter bona, cum ejus Castro attribuit, uti ejus constat diplomate MXCII. Tunc porro Adamettum Sismundum Castelli præfectura ab eodem

dem Comite donatum, in nobilis hujus gentis memoriis invenio, quo in munere Stephanum filium successorem habuit. Hujus hæres a Guillelmo II. confirmatus MCLXXIII. quod Tancredo cum Catanensi Episcopo adhæsisset, ab Henrico VI. gradu privatus dicitur. Agrum tunc temporis vicatim habitabant familiæ complures, quarum adhuc nomina in vicis, opidis hodie, perseverant; sed majori ex parte densis sylvis occupatum nihilominus fuisse, quæ variis in locis frequentissima occurrunt querceta, satis ostendunt; nemoribus hinc dissipatis, passim vinetis campi consiti, domesticisque arboribus, ac moris præsertim colles circumquaque convestiti, uberes adeo fructus reddidere, uti colonorum expectationem superarint. Sub Suevis Principibus Catanensis Episcopatus juribus dilapidatis, jacturam non levem *Acis* etiam ditio substinuit; hinc sub Regibus Gallis Apostolici Legati opera in pristinam integritatem revocata; mox Gentilis Episcopi oscitantia, Friderico II. rerum potente, sub censu annuo aureorum LXXV in *Rogerii Lauriæ* Insulæ Architalassi potestatem devenit, qui castrum egregie munivit. In eo aliquando Rogerii Nepos contra eumdem Regem se tutavit, uti in Historiis. Tenuit & *Margarita Rogerii* filia; quumque hic ad Robertum Neapolis Regem deficiens, mortem in patria tandem oppetiisset, contendit Robertus *Acim* sibi deberi; Induciarum enim legibus, Reges inter initarum, id erat sancitum, ut Lauria, ejusque hæredes defectionis nota non obstante, *Acis* juribus fruerentur. Verum ad Jacobum Aragonensem controversia delata, hic pro Friderico Siculo definit. Sub eodem, Galli insceptione facta, Acensem regionem hostiliter invadentes incen-

incendio cuncta devastarunt, quumque ignis undique debacchatus, vicos, agrosque consumpsisset, nix pluit; unde Siculis effatum: Postquam Acis arsit, ninxit.

A Friderico eodem *Blascus Alagona* obtinuit, cujus in censu de anno MCCCXX. fit mentio. Sub Ludovico nihilominus *Joannem* Infantem Randatii Ducem *Acis* dominum lego, quo decedente, ad *Artalem Alagonam* Blasci filium devenit, qui a Simone de Puteo Catanensi Pontifice anno MCCCLXXXI. novam concessionem sibi expediri curavit, & ab Urbano V. confirmationem est assequutus. Artalis suo testamento Catanę condito *Maziottam* ex illegitimo thoro filium hæredem dixit, quem sine prole mortuum *Blascus*, & post eum *Artalis* junior excepit. Hic Regi Martino infensus, diu Acis Castrum, ubi uxorem & filios servabat, contra Regios Exercitus defendit; Cessit tandem ex conventione anno MCCCXCIV. cujus hasce fuisse conditiones invenio: Ut *Artalis* nempe Castra Paternionis & *Acis* Regi traderet, ipse Melitam in clientelam acciperet. Verum, quum varias *Alagona* innecteret moras, *Acim* amisit, nec Melitę possessionem demum tenuit, Siciliaque excedens, exul periit. Post hæc Martinus Rex, celebratis apud Syracusas MCCCXCVIII. Comitiis, inter alia statuit, ut *Acis* opidum & Castrum Regio sub Demanio deinceps perstarent. Alphonsus tamen X. M. florenis acceptis, *Ferdinando Velasquez* ex literis Messanę V. Aprilis MCCCCXXII attribuit. Sequenti hinc anno, quum Joannes de Podio Episcopus de spolio Ecclesiæ suæ apud Rom: Pontificem conquestus esset, Syracusanus Antistes hujus jussu *Acim*, aliaque bona male alienata Catanensi Ecclesiæ restituenda, curavit. Re composita Velasquez,

census

censûs onere gravatus, denuo in dominium inducitur. Tunc Alphonsus, ut publicę in agro S. Venerę, ubi puteus supra descriptus cum aquis thermalibus, haberentur nundinæ, indulsit. Ferunt enim, quod ad eas indicendas Magistratus, qui ex singulis municipiis conflabatur, sollemni pompa e vico Pavonio apud S. Philippum in equis procedebat, nec leve ex illis commodum opidanis proveniebat. Nundinas, suo etiam calculo anno MDXI. Carolus V. Cęsar confirmavit, quę in Aquiliam postremo translata, ibi ante XII. Kalend: Augusti quotannis in summa vicinorum frequentia celebrantur. Per hæc tempora *Adamus Asmundus* se *Acis* Baronem appellat. Atenim an: MCCCCXXXIV. fatis concedens *Velasquez, Petrum Infantem*, Neti Comitem, Alphonsi fratrem, sibi successorem designavit. Hic vero ex ultimis tabulis MCCCCXXXVII. eumdem *Alphonsum*, eoque sine filiis mortuo, *Joannem* alterum fratrem vocavit. Interim *Joanni Baptistæ Platamonio* Siciliæ dudum Proregi, Regio Secretario, Alphonsus, IV. M. supra XX. florenis acceptis, assignavit; quumque *Guillelmus Raymundus Moncada*, biennio post, ob jus luendi, quod sibi Rex reservaverat, oblatis insuper V. florenis M. *Acim* impetrasset; Platamonius in Regium ærarium XLV. flor. M. illatis, illam sibi denuo vindicavit, ac *Julio Sancio* filio reliquit, anno MCCCCLI. ejusdem Alphonsi literis confirmato. Mortuo Alphonso, Joannes ejus frater Siciliam adeptus, ab *Julio Sancio* Acis opidum & Castrum repetebat, quod Petri Infantis testamento sibi deberi asserebat. Lite hinc in R. Siciliæ M. C. instituta, hęc pro Joanne decrevit, quod Sancius indigne ferens a Rege desciit MCCCCLXIII. ac sese in Castro tutavit. At Nicolai Septimi opera, eo expugnato,

pugnato, Sancius & filius capti in Catanensi Ursina arce, ad mortem usque carceri addicuntur. Regio hinc dominio *Acis* cessit. Bello non diu post perurgente, Joannes ipse *Acis* dynastiam *Bernardo Requesensio* tunc Proregi vendidit MCCCCLXV. a quo, Siciliæ Quæstoris opera, *Antonius de Magistro Antonio* majori auri summa in ærarium illata, triennio elapso repetiit. Verum *Guido Reitanus* XL. flor. M. Regi protulit, & *Acim* in clientelam suscepit. Id resciens *Magister Antonius*, qui eo pacto emerat, ut cuicumque alteri potiorem auri summam exhibenti, præferretur, congruam Quæstori pecuniam solvit, & in possessionem fuit rursus inductus. Post hujus obitum *Aloysius de Magistro Antonio* filius MCCCCLXXVIII. sufficitur; huic vero *Salvator* successit sæculi XVI. anno V. qui ad XXVIII. tenuit. Eo enim decurrente, ubi *Acenses* Jus luendi a Curia venum expositum intellexere; ac Salvatorem, ut sibi illud vindicaret, ad V. M. Quæstori obtulisse; Catanensis Senatus opera, ejusque ad Carolum Cæsarem legati Hieronymi Guerreræ industria, totidem florenos exhibentes, ad Regium Demanium revocari impetrarunt ex literis XXV. Julii MDXXI.

Perstitit igitur *Acis* Civitas universa Regia sub potestate ad seculum & ultra, crevitque, uti innui, maximè præ ceteris Aquilia; donec anno MDCXLV. facta ejusdem ab aliis divisione, quam decennio ante Regii Consulares designaverant; illa quidem in *Demanio* remansit, reliquę vero, civitatem conflantes, regiones *Nicolao Dianæ*, qui aureos III. M. supra XXX in Regium ærarium intulit, sunt addictæ. Excepit *Nicolaum Guillelmus* filius, tenuitque *Acim* S. Antonium, Catenam, S. Philippum, adnexosque vicos

ad

ad annum MDCLXII. quo *Stephanus Riggius* Campifloridi Princeps Regni Quæstori XXXVI. *Dianis* totidem ſcutata millia ſolvit, Terraſque ac opida enumerata ſub clientela in perpetuum accepit. Vicos inter ille quoque de *Plataniis* computatus; ſed paullo poſt uti *Acis Aquiliæ* pars, huic ceſſit. Fulſit porro *Stephanus* jure uxoris Campifranci etiam Princeps, ac Gineſtræ primus Marchio fuit, præcipuiſque muniis in patria functus, Proregis vices arduis in rebus geſſit, Catanæ vel maxime anno MDCLXIX. quum urbi ab Ætnæ incendiis vaſtitas ingrueret, Regi a Cubiculo, ejuſque Ærario a Rationibus, Patriæ ad varios Principes Legatus, ac Meſſanæ demum Strategus adlectus. Hunc Cœnobii Minoritani apud Acim Catenam authorem paullo ſupra vulgavi; At quum ab anno MDCXXXIII. illud auſpicia habuerit, inſignem benefactorem tantum MDCLXXXIX Stephanum agnovit. Tulit ex uxore Angela *Aloyſium* primum Catenæ Principem, S. Jacobi Equitem, XII. Regni virum, ac Panormi Prætorem. Nuptias hic cum Franciſca Saladino celebravit, unde *Stephanus* progenitus, Acis S. Antonii, & S. Philippi Princeps, aliiſque dignitatibus clarus; Andreas Catanenſis Eccleſię ad plures annos Epiſcopus, aliique prodierunt. *Stephano*, & Doroteæ Brancifortiæ nati ſunt *Aloyſius*, Andreas, Michael, & Petrus. Hic Romæ inter Prælatos adſcriptus, florenti ætate mortale exuit. Andreas Hiſpanicæ Claſſis ſupremus Præfectus vivit; Michael Neapolis Regis Talaſſiarcha, S. Januarii Eques, dudum Regni totius Præſes, hodieque utriuſque Siciliæ cum aliis Regens. *Aloyſius* Princeps, Siciliæ primum Architalaſſus, ac Proregis Viceſgerens claruit, mox in Hiſpanias profectus, Valentiæ, & Orani Pro-

rex, Exercitusque Imperator; Ad Venetos Legatus cum plena per Italiam potestate, eodemque munere Parisiis functus, ubique summam animi moderationem, prudentiam, dexteritatem, ac munificentiam præsetulit; Hinc inter Hispanos Magnates, *S.* Jacobi, S. Spiritus, ac S. Januarii Equites annumerari meruit, variisque honoribus affici; in familiarem demum consuetudinem summis Principibus venit. Quietis amore omnibus valedicens, quum sibi, ac Deo aliquandiu vixisset, in Valle Viridi ditionis suæ opido, uti optaverat, anno MDCCLVIII. mortem expectavit, ibique cum dilecta uxore communi sepulchro e marmore elaborato tumulatur. Fuit hæc Catharina Gravina, cum qua *Stephanum*, Ignatium, Carolum & Balthassarem genuit, muniis & dignitatibus auctos. Primus, quem adhuc vivens inauguravit, primaria Militiæ Præfectura Siciliæ Regis, ejusque in Hispanias Legatus, Castelli Novi Neapolis Præses, ac Regni demum Regens hodie vivit ad majora. *Acis* est latitudo grad: XXXVII. XL. longitudo gradum XXXIX. pene contingit.

ADRANUS Fluvius. Veniunt hoc nomine aquarum venæ, quæ sub opido ejusdem nominis copiosissimæ emanant, & in Symethum sese condunt. Ex illis duo veluti gurgites e solo exiliunt, unusque *Clarus*, alter *Niger*, quod ille limpidas, hic limosas emittant aquas, appellantur, quos falsa persuasione Dellos, seu Palicinos fontes nonnulli credunt; *Adranus* enim superstitiosæ gentilitatis Deus Palicorum pater Hesychio vetusto authori dicitur; & Palicorum fabulam juxta Symethum nonnulli statuunt. Nec desunt denique, qui *Adrani* fluminis nomine Symethum ipsum venire adstruant: Et nostra qui-

quidem ætate Symethus *Adrani* finibus suffusus, atque ad ejus trajectum scapha ab *Adrano* nuncupatur.

ADRANUM Opidum frequens, &dives titulo Comitatus insigne, originis antiquę; atque Diodoro, Plutarcho, Nymphodoro, Æliano, Silio, & Plinio satis notum; Græcis cum adscriptione *Hadranum*, uti & Latinis plerisque; sequiorisque ævi scriptoribus *Adernio*, ac Siculis *Adernò*; sub Ætna monte, ad occiduum hibernum solstitium sedet in collibus supra Symethum. Illius author Diodoro lib. 13. Dionysius Syracusarum Tyrannus: *Dionysius*, ait *in Sicilia opidum sub ipsum Ætnam montem constituit, quod ab insigne quodam fano Adranum vocavit*. Hinc quod ante Dionysium sub Ætnæ, seu Inessæ nomine floruerit, parum historiæ congruit. Extabat quidem Ætna, Inessa ante Hjeronis ætatem, sed ejus situm alibi constituo. Respondet sub Dionysio *Adrani* ortus Olympiadis xcv. an: 1. ante natum Dominum cccc.

De *Adrani* fano, unde opido vocabulum, Plutarchus in Timolcontis vita: *Adranitæ exiguum quidem, sed Deo cuidam Adrano, quem tota Sicilia religiosissime veneratur, sacrum, opidum incolebant*. Ælianus de Animal: lib. 2. cap. 20. *In Sicilia Adranum est civitas, ait Nymphodorus; & in eo Deo indigenæ templum, quod valde magnificum esse refert. Sed & alia, quæ de Deo narrant, quamque sit clarus, propitius & prompte facilis in supplices, alibi videbimus.* Canes nempe numero ad M. circa templum, a Sacerdotibus enutritos, peregrinis, qui ad Deum religionis caussa properabant, blandientes excepisse; contra vero impios latratu, & morsibus fugasse, prędones denique crudeliter discerpendo abjecisse, piisque ac devotis ad domos quasque suas noctu du-

catum prębuisse. Hæc Ælianus. Nimirum *Adranus* heros est ille, cui divino Palicorum responso, juxta Macrobium, quum insulam sterilis annus arefecisset, admoniti Siculi certum sacrificium celebrarunt. In templo Timoleon post adeptam contra Icetem victoriam, more gentis sacra fecit. *Adranum* quippe, falso errore ducti viderant incolæ pili cuspidem concussisse, sudoremque facie exhalasse, quod ostentum in peractę ab eo Duce pugnę omen susceptum, Timoleonti urbem ineunti *Adranitæ* enarrarunt. Ad aram porro eumdem Corinthium cęremoniis intentum, quum duo submissi ab Icete milites, rusticos mentiti, invadere tentassent, deprehensi, ubi rem detexere, liberi sunt dimissi, uti in Historiis ex Plutarcho recitavi.

Prope id Fanum igitur olim *Adranum* surgebat, sed hodierna civitas laxiori spatio extensa passim putatur. Florebat sane inter alias insulæ non ultima; Diodorus enim, qui Vicum *Adranum* frustra cum Macella a Romanis oppugnatum affirmat; de Opido ejusdem nominis olim in Mazarensi ditione loquitur, uti Cluverius advertit. Silius cętero lib. 4. *Adranitas* nostros eos inter populos enumerat, qui Marcello Cons. suppetias ministrarunt. Eosdem inter Mediterraneos Sicilię Plinius recenset. Satis demum illustres cusa numismata ostendunt, illa cum epigrapha ΑΔΡΑΝΙΩΝ, in quibus Aquila unguibus, & rostro Leporem dilanians ex una, Cancer, sub quo Piscis, ex postica exhibentur. Tum alia, ubi Apollinis caput, aut *Adrani*, ejusque lyra cum inscriptione ΑΔΡΑΝΙΤΑΝ spectatur. Extabat Sarracenorum ævo, uti ex lapide constat ab Ecclesia S. Dominicæ haud procul, Arabis characteribus signato, quorum

est

eſt interpetratio apud Pirrum, mox infra referenda. Sub Northmannis Principibus demum non ignobilis efflorebat; Neptiſque Rogerii Comitis Adelaſia, opidi Comitiſſa ſępius in hiſtoriis laudatur. Tunc excitatam ingentem illam turrim tradunt, quæ omnium prima in *Adrani* deſcriptione occurrit. Eſt ergo quadrilatera ad ccc. circiter cubitus ſeſe in altum ſubrigens, cum lorica, prætento propugnaculo, & ponte; Imi interni fornices noxiis cuſtodiendis addicti; ſuperiores concamerationes, triplici ordine, aulas ampliſſimas, conclaveſque olim oſtentabant magnificos; hodie enim ſuſdeque abierunt, nec habitantur.

A Turri haud longe Princeps templum circa occaſum Deiparæ nomini ſub Aſſumptionis titulo dicatum, amplum ac decentiſſimum, quod paucis ab hinc annis, quum ruinam minaretur, in ſolidiorem formam eſt concinatum, cum triplici navi, & aſibdibus. Eſt unicum Parochiale, & Canonico Collegio inſtruitur, circa elapſi ſęculi annum xc. Epiſcopi Catanenſis, & Diœceſani juſſu conſtituto, ſubindeque Rom: Pont: authoritate MDCCVI. confirmato, cujus Propoſito, & Dignitatibus, uti appellant, Parochi munera attribuuntur. Ante Templi aream, quæ ſatis patens & ſpatioſa, Civile Prętorium, ubi Magiſtratus, & Conſulares jus exercent. Reliquæ civitatis regiones ſuas habent ſacras ædes, quas dicunt filiales, ubi Divina ad incolarum commodum cuſtodiuntur; Quarum pręcipua in centro S. Petri, opidi tutelaris, ædificiorum ſplendore, & interno cultu omnino conſpicua nitet. S. Apoſtoli enim eſt capella magnifica, aræ tabulis ornantur antiquis, & nobilibus, a celebri Engitano Claudo efficitæ. Solemne denique feſtum Kalendis Auguſti ingenti pompa cum nundinis in ea celebra-

tur.

tur. Jam alteri Regioni, seu tertiæ ad orientem SS. Salvatoris Ecclesia, decens & ipsa, sacra ministrat; juxta quam Domus hodie videtur pro spiritualibus Exercitationibus insignis; & IV. sub S. Leonardi Episcopi auspiciis ad æstivum solstitium. Præter has spectandę se efferunt Ecclesia S. Marię de Catena, publico ęre, eleganti schemate extructa, & convenienter dotata, in qua Nonis Augusti festivo totius opidi plausu, Deiparæ, uti Patronæ vota solvuntur; necnon illa S. Nicolao Anachoretę, *Adranensi* civi sacra, eodem in loco, ubi hic natus dicitur, ædificata; minores aliæ sunt XII. cum sodalitiis.

Inter Cœnobitas primum sibi vindicant locum Moniales S. Luciæ V. & M. quarum Claustra laudata Adelasia Comitissa extra opidum anno MCL. fundavit, bonisque ac prędiis largissime auxit, adeout illarum coloniam, Catanam deductam, sub ejusdem Divæ titulo, majores nostri viderint. Extant in agro *Adranensi* Monasterii, & Ecclesiæ ab Archiep: Barensi MCLIX. consecratę rudera, anno enim MDXCVI. in aream Rosarum, ad australem opidi oram translatum, magnificũ hodie assurgit; medium enim occupat Ecclesia, utrinque ædificia ab ortu ad occasum longo spatio extenduntur, & advenarum oculos ad se convertunt. In opidi pene centro Fratrum Prædicatorum ab anno MDXCIII. cœnobium sub SS. Rosarii nomine subrigitur, quod ante XXX. extra fuerat in S. Mariæ de Gratia constitutum; Hanc autem Adelasia Catanensi Ecclesiæ cum terris circumpositis assignaverat. Ad occiduam plagam Minoritani de Observantia amplum, frequensque incolunt Asceterium. Illud, Uvadingo teste, B. Matthæus ab Agrigento ædificavit, & si Pirrus anno MCCCCXXVI. post Matthęi obitum

obitum *Adranensem* Comitissam dedisse eidem auspicia scribat, sub S. Mariæ de Jesu vocabulo. Generalis est Ordinis Academia post Messanensem, & supremo subditur Ministro, qui Scientiarum Professores designat. Templum sacro, de more Ecclesiæ, linivit oleo Ludovicus Contrizerius Carthaginiensis Episcopus sæculi xvi. anno xii. & insignioribus donavit reliquiis, de ligno S. Crucis, & de Spinis Coronę Domini. Virginis denique simulacrum de Monte Serrato titulo, in devota capella exornat, populo ob accepta beneficia specialiter cultum. Regionem oppositam, ortivam nempe, Fratrum *S.* Augustini instituta profitentium Conventus ad S. Marię Annunciatę Ecclesiam nobilitat, quod extra pomœrium anno mccccxxiv. coaluit; sequenti vero sæculo in ipso opidi aditu circa lxxxv. annum locatus nitet. Ad ccc. passus, hac ipsa plaga, Capuccinorum ære publico, mdcv. constitutum cœnobium consurgit, & via publica primum occurrit, sub Immaculatę Conceptionis Deiparę Virginis auspiciis. Novissimè mdccxxxviii. sedem *Adrani* fixerunt Regulares Scholarum Piarum Clerici Petro Spedalerio Cunei Barone dotem ab an: mdcciv. suppeditante, & Petro Costa Ecclesiæ Cantore census subinde augente, ut studiis opidanorum promovendis incumberent. Præter illud S. Luciæ Benedictinum, Sacrarum quoque Virginum S. Clarę Cœnobium ad majoris areæ latus aquilonare decentissimè constructum spectatur, authoribus Petro, & Agatha Bruno mdcvii. Hinc Pauperum Virginũ sub cura Monialium Ordinis S.Teresię arctissimę vitę studiis inhęrentium, parthenon ab eadem area haud procul, contra Turrim ab an: mdcxciii. fundatus; ac demum Hospitalis se offert domus, in qua Alborum sodalitas de ęgrotis

&

& peregrinis sollicita, misericordię operibus intendit. Publica hæc ædificia non vulgarem opido decorem conciliant; sed civiles privati lares præcipui ornamenti quoque esse videntur, nec enim aut elegantia, aut amplitudo in illis desideratur. Leniter cętero declivis est *Adrani* situs, viæ & fora optimo ordine disponuntur, ac inter mediterraneas civitates non ultimum locum occupat. Magistratus in ea civilis hodie IV. Viris & Proconservatore constat; Strategus olim, Turrisque Præfectus de criminosis judicabat, cui nunc Dux, vulgo *Capitanus*, substituitur; Suos hic habet Judices, Ministros, & Apparitores. Urbana, seu indigena Militia Agyrensis Præfecti juribus subjicitur, constatque peditibus 78. equitibus 9. Sed Legionis vexillum, signumque *Adranitæ* custodiunt. Stemma falsi olim Numinis *Adrani* hastati, ac armis contecti simulacrum refert. Census sęculo XVI. lares 800. animas cum proxmo Albævillæ opido & Centuripe 6438. Sequentis anno LII. lares 1527. incolas 5933. Anno MDCCXII. focos 1520. cives 5181. & novissimè 7525. exhibuit. Ad Comarchiam denique Randatiensem spectat.

Ager late patens ad Ætnæ montana, nemoris ejusdem non exiguam claudit partem, in occasum vergentem, in quo Pineta, Quercetusque, altissimas arbores & annosas ingenti copia suppeditat; Serræ hinc aquarum ope, ac vi agitatę, illis secandis adhibentur, ad circumpositę provincię commodum; vineis hinc, fructiferis arboribus & pascuis lętissimis affluentes campi nemus excipiunt. Qua vero ad ejusdem radices ager idem vergit, Symethi fluminis ripas complectitur, & oletis, frugibus, oleribusque abundat; aquis enim undique irriguus, copiosissimas fert messes,

messes, & colonorum laboribus respondet. Ad *Adranensem* spectant ditionem Centuripis & Albavilla opida hodie, quæ sua celebritate non destituuntur, de quorum primo in Valle Neti actum, de altero suo loco, quę occurrunt, reponam. Civitas prętereа, seu locus olim a Servis munitus, in occidentem paullo ante Symethi trajectum, ubi pons lapideus a Carcaci proximo opidulo appellatus, spectatu digna se offert, veluti insigne vetustatis monumentum; patet enim in ambitu bis centum circiter passus, atque ad Symethi margines tendit; fossam ætnenses inter lapides excavatam pro vallo habet; ex aliis plagis muro ex eisdem lapidibus ordine aggestis munitur, absque calcis litura. Eodem artificio & industria compacta tuguria, uti apparent, intra vallum & tegularum fragmenta sparsim ubique occurrunt. Quod Servilis belli temporibus sint rudera hæc tribuenda, alibi ostendam, de Paternione loquens, in cujus territorio non absimile antiquę ętatis perdurat vestigium. Non hic omittendæ veniunt ejusdem agri vetus Ecclesia, *S.* Dominicæ sacra, in Policello campo; Ejus enim meminit Adelasia in diplomate, quo S. Lucię Monasterium, terris designatis ad Monialium usum, munerata est anno MCL. Creditur quippe veterem ibi memoriam superstitiosæ gentium religionis extitisse, Musis dicatam; hinc *Vallis Musæ* locus dicitur; necnon Annunciatę veteris Ædes, ubi primum, paullo supra opidum, Augustinienses incoluere. Supersunt enim ingentes antiqui ædificii reliquiæ, quas opidani Martis fani fuisse contendunt. Tandemque S. Mariæ de Robore Grosso Monasterium olim, sub Prioratus titulo, ordinis S. Benedicti, Licodiensi ejusdem instituti adnexum hodie; a quo haud procul in-

gentis ædificii perſtare rudera, Vulcani Templi in Ætna, ſcriptoribus memorati, veſtigia affirmant.

Apud Gualterium in Siculis tabulis hæc lego: *Policellum* XII. *ſtadiis ab Hadrano, rupi inciſa ad ſcaturiginem: Ceamadiaeus. Pheſinus. Poulenus. Lalus. Raiphus. Pius - Hadranum Comitatus Domini Ducis Montis Alti: Camiſtratus. Ratori. F. - Nicæus - Chiſchylus. Chryſoli. F.* Proſtremam hanc refert etiam Pirrus, qui de S. Dominicæ Eccleſia, cujus memini, loquens, & de Policello: *Ibi in nigro lapide,* ait, *hæ Sarracenicæ leguntur literæ, latinè: Hic in hoc loco fuit caſus necis Albugazari Principis Sarracenorum*. Illuſtres Viros *Adranum* genuit: B. Nicolaum Politum Eremi in Alcaræ finibus incolam, cujus vitam virtutibus, & prodigiis plenam, exitumque ſanctiſſimum liber continet typis editus ex Actis ejuſdem, & apud Cajetanum habes. Joſephum ex ordine Capuccinorum Laicum, uti dicunt, qui per annos plures ad ſtipis poſtulandæ pro alimentis fratrum munus deſtinatus, vitæ innocentis exemplis cunctis præluxit; orandi ſtudio addictus, edomandæ carni cilicio, jejuniis, flagellis, ac vigiliis perpetuo intentus, ab omni labe ſe liberum conſervavit. E Caſtroregalenſi Cœnobio, ubi diu vixerat, ad S. Luciam delatus, ibi piiſſime mortale exuit ſeculi hujus an: XVIII. Annam de Rege religioſiſſimam fœminam, Minoritanum inſtitutum profeſſam, morum puritate conſpicuam, cujus res geſtas Franciſcus Muſca vulgavit; & Annam Petraſanctam ex Capuccinis, virginem pietate inſignem, cujus ſpiritum idem Franciſcus probaverat. A ſcientiis commendati *Adranitæ* quoque floruere Auguſtinus Pignatellus celebris per Italiam Orator; Peregrinus Scarvaglia, & Fulgentius Pecocorella

corella a facris fcientiis, & perorandi arte, geftifque primis in provincia muniis a Bonaventura Attardo Auguftinienfi inter fuos egregiè commendati. Laudatur etiam Peregrinus a Mongitore in Sicula Bibliotheca. Jofeph Galletto Sacerdos, qui humaniores literas, mufafque coluit. De Ætnæ incendiis metro fcripfit, & alia Poefis monumenta edidit ab eodem Mongitore enumerata.

Adrani Comites ab ipfo Northmannorum ævò memorantur: *Adelafia* enim ex Mathilde, five Emma Rogerii Comitis filia, & Rodulpho Montis Caveofi domino orta, id opidum prima accepit & *Adranenfis* Comitiffa evafit, Raynaldo Avenello conjux effecta *Adam* & Mathildem procreavit. Ille N. Rogerii Regis filię copulatus *Rogerium* in Comitatu hęredem habuit, qui Guillelmi Regis inaugurationi interfuit, feque cognomento de Aquila, & Avenelli Comitem dicit: Fuit etiam Fundanus in Campania & Politienfis in Sicilia Comes. Ad ejus deceffu *Gualterium Pariffum* Comitem anno MCLXXXV. invenio, primifque Aragonenfium tempo ribus *Petrum Lucam Peregrinum*, cujus filiæ *Matth æus Sclafanus* matrimonio adjunctus, Centuripis & *Adrani* dominus evafit, & Comitatus infignia ab Rege accepit, Idem Clufæ, Sclafani, Ciminnæ Dynafta effulfit, uti ex Friderici II. Cenfu evincitur. Tulit ex bina uxore Bartholomæa de Incifa, & Beatrice Calvella duas filias Aloyfiam Guillelmo Peraltæ, & *Margaritam* Matthæo de Moncada traditas, decedenfque ex peftilentia hanc in bonis citra Flumen Salfum, illam in ultra, dominatus hæredes dixit.

Matthęus itaque *Moncada Adrani* Comes effectus, Panormi celebre palatium MCCCXXX. excitavit ac

præclare alia molitus eſt, cui *Antonius* filius ex Allegrantia Abbate poſt aliquot menſes a patris obitu in lucem datus, ſucceſſit. Evaſit hic Martino Regi infenſus, ſed mox in gratiam receptus, inter Proceres MCCCCVIII. venit. Sine prole poſt quinquennium morte ſublatus, *Joannem*, ex Guillelmo Raymundo fratre natum, Comitem ſuo teſtamento reliquit, qui Siciliæ Seneſcalcus, Cancellarius, & Magiſter Juſtitiarius vixit. *Joannem Guillelmus Raymundus* excepit, qui *Adrani* Comes eſt dictus; alter verò illius filius Raymundus Perius Ferulæ Baro conſtituitur. Protulit porro eos ambos Audreva Sfammaler Matrona Majoricenſis, Joannis uxor. *Guillelmo* Regni Cancellario, & Apuliæ Proregi *Joannes Thomas* obtigit filius, cum Diana Sanſeverino genitus, ab anno MCCCCLXI Comes renunciatus, ac poſt Patris mortem Sicilię Juſtitiarius adlectus, iterumque Regni Pręſes, atque exercitus ſupremus Imperator, armis demum & literis illuſtriſſimus. Habuit ex Raymundetta Vigintimillia *Guillelmum Raymundum* hujus nominis ex Montecatinis VI. qui an: MDI. Patris hęres renunciatus, ejus nedum præclara munia, ſed & egregias virtutes eſt aſſecutus. Duxit in uxorem Antonii Moncadæ Calatanixectæ Comitis unicam filiam, quę illi *Antonium* peperit, multis nominibus ſub Carolo V. Cæſare commendatum. Tenuit cum Patris, Matriſque dynaſtiis, Paternionem, & Mottam S. Anaſtaſiæ, auctuſque eſt ex Joanna Eleonora de Luna *Franciſco* filio, qui patri ſucceſſit, Paternionis Princeps inauguratus, uti de Calatanixecta loquens recenſui; Ejus hinc ſucceſſores ibi laudatos conſule. Eſt hodie *Adrani* Comes *Antonius Alvarez de Toledo*, *Vincentii Ferrandinæ* Ducis, & *Catherinæ de Moncada* filius; quos

quos etiam Calatabellottæ Proceres enumerans commendavi. *Adranum* ad gradum latitudinis xxxvii. xxx. & longitudinis xxxviii. xxv. constituunt,

AEOLIÆ Insulę, *Liparis* vulgari voce, ab precipua illas inter, & *Vulcaniæ* a montibus in eis ignivomis dictæ; Tyrrheno mari ablutæ; Italiæ, & Siciliæ objacentes, sed huic proximiores; ad ejusdem aquilonare latus sitæ, contra Mylensem agrum; minimę alię, alię vero majores; Illustres apud Poetas passim habentur; quòd Æolus ibi Ventorum Rex sedem statuerit; Vulcanusque Ignis Pater officinam in iis habuisse dicatur. Inde *Æoliæ*, & Vulcaniæ, Græcisque Ephestiades, sunt appellatæ; *Plotæ* ab Homero etiam vocantur, quia scilicet sunt mari circumfluæ. *Arnes* Giannattasius ex Diodoro nuncupavit: *Boetus enim*, inquit hic, *ad Æolum paternum avum veniens, ab eoque loco filii habitus, Æolidis regnum adiit, regionique nomen matris, Arnem appinxit.* De situ porro idem Diodorus lib. 5. hæc habet: *Jacent istæ insulæ inter Siciliam, & Italiam, directo ab freto, & ortu solis ad occasum cursu; ab Sicilia* cl. *fere stadia dissitæ; Magnitudine inter sese quasi pares; Maxima verò*, nempe Lipara, *stadiorum* cl. *ambitum habet*. Plinius vero ex adverso Metauri amnis, qui Italiæ partem, Calabriam abluit, xii. ferme pass. m. dissidere *Æolias* tradit. At error in ejus irrepsit exemplaria; Marcianus enim Capella, & Solinus illius Epitomatores m. pass. xxv. ab Italia abesse *Æolias* scribunt, & tot revera computantur.

Jam de numero earum non convenit. Fazellus enim x. esse insulas affirmat, iisque Phęnicudim, & Ericudim accenset. Veteres uno ore, vii. evulgant, quorum sententias Cluverius ex integro refert; quamvis

vis ex illis nonnulli, uti Servius & Isidorus IX. repetito duarum nomine, Appianusque V. omnino faciat, Phęnicusa & Ericusa, quod ab Æoliis distent, seclusis. Oritur discrepantia ex eo, quod parvos, veluti scopulos omittunt, & ex illis una *Vulcanellus* noviter vi ignium e mari emersit, uti mox dicam. Decem Ego cum scopulis recenseo, quibus, si Phęnicusam & Ericusam addideris XII. erunt. En singularum hodierna nomina: *Lipara*, *Vulcanus*, *Lissa alba*, *Salinæ*, *Strongolis*, *Panaria*, *Basiluzus*, *Vulcanellus*, *Dattilus* & ex Scutteri mappa *Tilanavis* habetur, ultra *Alicurim*, & *Filicurim*. Vetusta vero vocabula: *Liparis*, *Vulcania*, aliter *Thermissa*, & *Hiera*, *Evonimos*, *Didyma*, *Strongyle*, *Phænicudes*, seu *Phænicusa*, *Ericodes*, sive *Ericusa*, *Hicesia*, *Heracleotes*. *Vulcanelli* ex antiquis meminit nemo, & Plinii ætate, aut paullo ante enatam tradunt. Cur vero *Hicesiam*, & *Heracleotem*, quæ mediæ inter alias jacent, aliis non fuerint accensæ divinare non auserim. Primæ Eusthatius & Ptolemæus meminere; Heracleotem in Insulari Itinerario descriptam nihilominus videmus, uti Cluverius advertit. De Naturæ dotibus, propriis in locis fusius disseram. Ignivomas cętérô ex illis duas esse, Vulcaniam, & Strongylem experientia hodie satis demonstrat. Liparam incolis frequentem, nonnullas pene steriles, quasdam colonorum industria fęcundas, omnes denique montosas.

AETNA Mons celeberrimus, altitudine, extensione, ac naturæ dotibus inter cęteros Europę facile princeps; dictus ab Ætna nympha, si Poetis credimus, Briaręi Cyclopis, ex Demetrio Calatiano filia, aut Cœlo, & Terra orta, juxta Alcinoi fabulas; vel demum Sileni testimonio Oceano patre; sed rectius

ex

ex Greco vocabulo ΑΙΘΕΙΝ, quod est latinis *Ardere* Cluverio, Natali Comiti, Valguarneræ, aliisque scriptoribus appellatus. Ab Sarracenis vero, qui diu Siciliam vexarunt, *Gibel*, seu Mons, & Siculis subinde *Mongibellus* veluti *Mons Montium*. In ortivo insulæ latere, ac ejus pene medio, solus, absque alterius montis conjugio ad III. pass. M. Christophori Clavii relatu, qui quadrantis ope illum dimensus est, perpendiculariter elevatur, amplissimis rabicibus ad pass. M. C. per gyrum extensus, quas abluit, ad ortum Jonium mare; ab austro Catanensis ingens planities; & Symethus Fluvius ab occasu ambiunt, longoque tractu ab aquilone colles definiunt. Ejus sunt aspera juga passim; at alicubi leviter declives tumuli, necnon latæ planities latera compingunt, quæ tamen eminus intuentibus conice consurgere ad summum usque verticem videntur, proprius vero considerata acervum potius excisarum rupium, colliumque confuso ordine assurgentium repræsentant.

Hæc eadem porro latera tres in regiones dividuntur. Suprema enim sterilibus utpote arenis, & saxeis molibus constans, ac nive insuper perpetua, paucis exceptis mensibus occupata, infecunda audit. Media opacis roborum, cerrorum, abietum, fagorum, quercuum, pinarumque nemoribus obducitur; humiles frutices, juniperos vel maxime, Botanicis satis notos, quibus enumerandis vix pagina sufficeret, necnon cryptas spatiosas & profundissimas continet. Inferior denique vineis, oletis, pomariis, omnisque generis arboribus, aquarum venis copiosissimis, vicis, castellis, opidulis, ac civitatibus, omnis per circuitum tali & tanta copia instruitur, uti naturę spectaculum vocari possit, perpetuumque merito haberi queat

queat viridarium. Ab hujus porro regionis extremo in austrum ad supremi verticis summitatem xxx. fere pass. M. numerantur; ab ortivo Tauromenitano littore, ubi acclivior est ascensus xx. totidemque ab occidente, ex amnis Symethi ripa; a Randatio denique aquilonari opido, ejusque finibus minor intercapedo, ad XII: scilicet pass. M. computatur. Jure hinc a Seneca Trag: *Vertex Siculus*, a Pindaro Ode I. Pyth: *Columna Cœlestis*; inter montes *Tipheus*, sive *Gigas* ab Silio dicitur. Quocirca potior Siculi littoris pars ex eo cacumine, summo cum oblectamento prospectantibus sese objicit.

Sed jam de hoc vertice aliqua raptim dicamus. Patet ille per gyrum non minus quam III. pass. M. in cujus medio crater ingens erat, crepidines variæ latitudinis ad aliquot passus habens. Hic, qua caurum mons respicit, tumulo non ardui ascensus extumebat, ubi os maximum, seu caminus erat. Anno enim elapso facies hæc verticis omnino immutata; tumulus quippe, ignis vi, ad orientales crateris oras erumpens biceps est factus, e cujus centro flamma, fumusque ad hanc usque diem se effert, unde & elatior mons ipse evasit. Interior porro fornax sulphure, aliisque mineralibus exundans, vi ventorum accensis, insignis magnitudinis lapides, montis scilicet viscera, cineres, immensos fumi globos, flammas, ignitamque demum materiam egerit, non raro absque murmure; sed horrifico sæpissime boatu, & tanta proximi aeris, & remoti etiam concussione, uti consternatis mortalium animis, mons ipse ab imis ruere videatur. Ignis cæterò ubi abundaverit, craterem totum complens, oris disruptis, modò ex uno, modò ex altero latere hucusque effluxit; paucis vero ab hinc, nonnisi ad

hiber-

hibernum ortivum ſolem viam ſibi, curſumque aperuit. Excreſcente per vices materia, inferiora latera diffinduntur, enormis liquefactorum lapidum congeries egeritur, qui vaſtitatem ſubjectis campis Catanam uſque, & alibi per circuitum inducunt. Hęc ſunt incendia illa, quorum hiſtorias ſcriptores non pauci promunt, & Fazellus accurate Decade 1. & Ego in Additionibus ad noſtra hęc tempora literis conſignavi

Noviſſimam e ſummo ore aquarum eruptionem, quibus ingens orientalis, meridionaliſque lateris vallis completa, quæque calidæ & ſale infectæ per rimas ſubinde, hiatuſque montis abſortæ perierunt, accurate deſcriptam habes ab eruditiſſimo Joſepho Recupero, peculiari opuſculo, in quo etiam & igneos vomitus, eodem ferme tempore egeſtos expoſuit; Elapſi vero anni & decurrentis incendia, unde bivertex *Ætna*, uti innui, effectus, a ſe diverſus omnino apparet; idem Recuperus brevi evulgabit. Modum hic excederem, reliqua ad illum ſpectantia etiam per compendium memorando; teruntur enim omnium manibus libri, quibus celeberrimi hujus naturæ ſpectaculi dotes recenſentur.

AETNA Opidum vetuſtiſſimum, *Ineſſa* quoque appellatum, de cujus ſitu variant opinione Siculaturum rerum Scriptores. Ad Maſcalim, in orientali cognominis montis latere locavit cum Ferrario Fazellus. Circa meridionalem plagam, ubi S. Nicolai de Arena Benedictinum Cœnobium, Cluverius. Carrera ſupra Paternionem, loco, quem hodie *Civitam* appellant. Cum Adrano confundunt plerique Geographi, civeſque Adranitæ id mordicus ſubſtinent; Ego autem conjecturis agens, ubi hodie S. Mariæ de Licodia, S. Benedicti inſtitutis addictum, Monaſterium

 ſedet.

sedet, locatam *Ætnam* alibi in notis ad Fazellum protuli, Strabonis testimonio vel maxime innixus. Ejus sunt verba lib: 6. *Propinquum Centuripis est opidulum Ætna, excipiens eos, & deducens, qui montem Ætnam volunt ascendere; hinc enim in altum sese mons attollere incipit*. Est porro Licodiæ collis contra Centuripem, inde mons sese in altum subrigit, & vetusta ætate fortasse ex eo deducebantur, qui ad Ætnæ verticem evadere cupiebant; quamvis hodie aliud passim iter e Catana ascendentes teneant. Antonini porro Itinerarium habet: *Centuripe Ætna* XVIII. *Catina* XII. Tabulæ vero *Centuripe Ætna* XII. hinc transpositas numerorum notas apud Antoninum putarem, legendumque: *Centuripe Ætna* XII. *Catina* XVIII. Quæ sane distantia sic emendata Licodiensi Monasterio omnino congrueret; quamvis Cluverius contra in Tabulis errorem deprehendat, seque Strabonis textu tueatur, Catanâ abesse *Ætnam* stadiis LXXX. scribentis. Thucydides lib. 6. *Reversi Athenienses navibus Catanam, cum omnibus copiis ad Centuripa opidum Siculum profecti sunt, quo quum ex conventione intrassent, abierunt simul incendentes segetes Inessentium & Hybleorum*. *Ætna* olim Inessa dicebatur; Ager hinc Inessensis, frugesque ad *Ætnam* spectabant. Hybla omnium fere scriptorum calculo, aut ubi hodie Paternio, aut in proximo tumulo ad Paternionis occiduam plagam stetisse creditur. E Centuripe idcirco Athenienses Catanam revertentes, subjecto igne Inessensibus, & Hiblæis segetibus, eodem ferme itinere per utriusque opidi campos ducebant. Quum igitur sit Licodiæ ager Paternionensi conterminus, uti Hybla ad Paternionem, pari ratione fuerit Inessa ad Licodiam statuenda.

Qua

Qua occasione, quove tempore Inessa in *Ætnam* migraverit, Diodorus lib. 11. habet: *Hiero Syracusanorum Rex Naxiis, & Catanensibus ex urbibus suis ejectis, novos urbibus incolas imposuit; ad v. hominum m. e Peloponneso colligens, totidemque e Syracusis adsciscens, Catanamque mutato nomine Ætnam dixit.* Et paullo post: *Ducetius in Sicilia Siculorum Dux incolis Catanæ ob ereptum Siculis agrum infensus, arma in eos movet; at quum aciem Catanenses opponerent, multis devicti preliis, tandem Catana excesserunt, urbemque nunc Ætnam, prius Ennesiam vocitatam occuparunt.* Catanenses intelligit hic Historicus novos ab Hjerone inductos colonos, antiquis civibus ejectis, qui Inessam, sive, uti appellat, Ennesiam migrantes, ab Ætna, quam reliquerant, denominarunt. Sed clarius Strabo rem explicat. *Priscos autem incolas Catana amisit, deductis eò aliis ab Hjerone Syracusarum Tyranno colonis, qui Catanæ etiam nomen in Ætnam mutavit. At sub excessum Hjeronis Catanenses postliminio reversi, inquilinos ejecerunt. Ætnenses cedentes loco, Inessam, quæ in montanis est Ætnæ, inhabitandam occuparunt, eique loco Ætnę nomen imposuere, dissito a Catana stadiis LXXX. ejusque authorem Hjeronem pronunciarunt;* Quis cęterò, quave ætate, his gestis vetustiore, Inessam condiderit, incertum. Extabat quidem Phalaris tempore, ab eoque Inessam occupatam dolo, an stratagemmate? prodit Polienus, uti in meis ad Fazellum Notis retuli. Servilis belli tempore extabat adhuc; Apud *Ætnam* quippe defectores diu se continuisse passim tradunt Historici; & Adranum proximum opidum occupasse conjecturæ suadent; Servorum hinc opus utraque *Civitas* creditur, quarum altera sub

Adrano, altera sub Licodia ex ruderibus cognoscitur, uti suo loco expendam. Tullius in Verrem *Ætnensem* agrum cultissimum dixit, & caput esse rei frumentariæ. Diodorus, qui Augusti ęvo scripsit *Ætnam* perseverantem apertè innuit lib. 14. *Dionysius*, ait, *Campanis, qui Catanam incolebant, persuasit, uti opidum, qui nunc vocatur Ætna, commigrarent, quod munimentum id esset validissimum.* De *Ætna* Romana Itinera, illudque Antonini loquuntur, ejusque distantias veluti extantis opidi designant: Sed qua ætate defecerit, prodit nemo. Duo exhibentur ejusdem *Ætnæ* numismata, & vulgaria quum sint, ac obvia præ aliis, longe, lateque illam commercia exercuisse evincunt. In quorum uno Caput spicis coronatum, Cereris, uti reor, effingitur, & Cornucopia; in altero Apollinis radiata facies, & in postica Miles armis instructus hastatusque repræsentatur. Utrumque epigrapham habet ΑΙΤΝΑΙΩΝ. Perperam nonnulli cum Enna confundunt, ex imperitia locorum.

AETNOSIA Fazello eadem ac *Ætna*, qui Diodorum allegat; verum hic *Ennesiam* olim Ætnam vocatam affirmat, quæ aliis dicitur Inessa. Quod in summo collis clivo olim *Ætnosia* steterit, uti ex fabuloso Orophone tradunt, putidum censetur mendacium.

S. AGATHA Messanense Municipium in septentriones ad oram maritimam, a Faro opidulo haud procul, cujus erat juris. Ecclesiam habet hodie eidem S. Virgini & Martyri dicatam, in qua sacramenta incolis, qui cum Faro censentur hodie 2417. a Sacerdote administrantur.

S. AGATHA Municipium supra Catanam ad vicum de *Battiatis*, ejusque Parochiam spectans, cum

sacra

ſacra æde cognomine. Vocant aliter a *Valentis*, quod gens ejuſdem vocabuli ibi ſedem habeat.

S. AGATHA Turris ſpecula non incelebris in aquilonari inſulæ plaga poſt Orlandum promontorium, vulgi voce *S. Agati*. Caſale appellat Maſſa, quod circa turrim humiles ſint caſæ, cum Eccleſia & Sacerdote, ad opidum in proximo ſitum colle, S. Philadelphum ſpectantes. Tormentis turris, ſive Arx inſtruitur ad Piratas arcendos, tuendaſque celebres nundinas Novembri menſe ſumma vicinorum frequentia ibidem quotannis habitas.

AGATHYRNUM Vetus Opidum, quibuſdam *Agathyrna*, & *Agathyrſus*, in aquilonari inſulę regione inter Alæſam & Tyndaridem. De illius origine Cluverius lib. 2. cap. 6. *Tanta*, inquit, *fuit Agathyrni vetuſtas, uti ad Trojana tempora primordium ejus priſci retulerint mortales*. Authorem enim illud habuiſſe Æoli filium *Agathyrſum* Diodorus tradit. De ſitu opinionum eſt diſcrepantia: nam alii perperam ſtatuunt ad Pactas, Marius nempe Niger, & Ricciolius. Ubi S. Philadelphus ſedet hodie, affirmant illi, quos Fazellus notavit. Ipſe ad *S.* Martini campum vetuſti opidi ruinis occupatum *Agathyrnum* recognoſcit. Circa Pilainum, ſive Piracmonem opidulum locant plerique, quos impugnat Maurolycus. Ex *Agathyrni* ruinis S. Marcum originem traxiſſe Cluverius docet; Denique ab eo Orlandi promontorium traxiſſe nomen opinantur, qui congruentius cum Fazello tenui meo judicio loquuntur; eſt enim ad ejus ortivas radices navium ſtatio, ſed inſecura, in promontorio Arx, de qua dicendum; collis promontorio adhęrens rudera, aquęductus, lateres, & veteris habitationis reliquias ſervat complures, & in planitie

nitiem illius vertex extenditur, large patentē S. Martini a Fazello appellatam, unde totius pene septentrionalis littoris amęnissimus est prospectus.

Celebris cętero inter Siculas Civitates *Agathyrnum* est Ptolemæo, Straboni, Stephano, Plinio, Silio, Diodoro, Livio, Polybio & aliis. Silius enim inter Marcelli Consulis auxiliares illius populos enumerat. Alii ex *Agathyrno* Levinum, Consulem, quoque, primo bello Punico confecto, IV. hominum M. secum transvexisse scribunt ad agrum Brucium, Rhegiumque opidum nova colonia augendum. Hi porro fuere ex omni colluvione mixti, exules nempe, obęrati, capitalia ausi, quique *Agathyrni* per latrocinia & rapinas vitam tolerabant; Hic quidem numerus nostri opidi frequentiam satis arguit. Consule *Caput Orlandi*.

AGRILLA Fluentum de *Agrò*. Oritur in collibus, qui ab Argeno promontorio, *S. Alexii* hodie, Messanam usque protenduntur, & Tauromenitanarum faucium pars sunt. Hyemali tempore tenues servat aquas, quæ pluviis ita augentur, uti haud difficulter tranari possint, æstate vero exsiccantur. Ejus sunt fauces, seu ostium post Savocam ad septentrionales promontorii *S.* Alexii radices, ubi vicus cum parochiali sacra æde, de quo inferius: Ceduntur circa ripas lapides subnigri, quibus utimur ad scalas in nobilium palatiis.

AGRILLA Vallis. Rogerii Comitis Privilegium Diœcesis Messanensis describens fines, hos ab *Agrilla* valle initium sumere, ait, & per maritima Tauromenium usque tendere, indeque Messanam, pertingere. Quum itaque hujus urbis Parochia in meridiem & ortum inde incipiat, ubi Mascalis opidi ager

ager ab Acensi dividitur magno torrentis alveo etnenses inter rupes. Vallis hæc *Agrilla* ea prorsus videtur, quam alveus idem efficit, formidanda, pluviis temporibus aquarum vi ita exundans, ut trajectum tenere audeat nullus.

AGRO Opidum supra Argenum, vulgo *Fortia*. Vide suo loco.

ALÆSA Urbs vetus & celebris, aliis *Halæsa*. Septentrionalem insulæ oram, haud procul a flumine ejusdem appellationis, hodie Pitinei, occupat, ac in agro ab Æde S. Mariæ de Palatiis nuncupato sedet, cui Thusa ad D. circiter pass. in occasum incubat recens opidum. Fazellus, qui *Alæsum* amnem eodem in loco fluere fatetur, eruitque ex veteri inscriptione, quam refert Gualterius; *Alæsam* urbem nihilominus ad Caroniam XII. pass. M. inde dissitam constituit; quod eidem Gualterio, aliisque nauseam omnino movet; Constat enim, vel a fluminibus proximas urbes, vel ab his flumina potissimè vocabulum sortiri. Magna aliunde diruti opidi vestigia in loco a me indicato, occurrere, fatetur; & *Aletæ* ruinas esse censet, Ptolemæo memoratæ. Verumenim vero Geographum *Alesæ*, non *Aletæ* meminisse ex variis codicibus constat; nec ex veteribus alius *Aletam* nominat; Mendosum idcirco Fazelli fuisse exemplar tradit Cluverius. Anceps animi aliunde ille his verbis concludit: Post hanc urbem postratam ad jactum lapidis ostium fluminis Pitinei sequitur, qui Alæsus in tabula marmorea vocatur, a quo si hæc urbs Alæsa est, nomen, veluti & plures alias a proximis fluviis, adeptam fuisse, arbitrandum. Ceterò jam novus eductus lapis in prædicta de Palatiis æde dubium substulit; in eo enim Populi *Alæsini* memo-

memoria habetur. *Diis. Omnibus. Populus. Alæsinorum. Diogenem. Diogenis. F. Lapironem. Benevolentiæ. Caussa*

De *Alæsæ* fundatore Diodorus lib. 14. ubi de Arconide, qui Herbita cum suis abscedens, novam Coloniam statuere in animum induxerat, loquens, ait: *Multitudine igitur assumpta collem quemdam occupat stadia* VIII. *a mari dissitum, in quo Alæsæ urbis fundamenta jecit; At quum id nominis aliæ etiam per Siciliam urbes tenerent, Arconidem illam de se denominavit. Sunt cæterò, qui Alæsam a Pęnis primum conditam memorant, quo tempore pax inter Amilcarem, & Dionysium coaluit.* Ex his deduci potest Dionysii tempora Alæsæ conditum non excedere. Ex Siculis porro fuisse urbibus constat; tum ab Mamertinis & Syracusanis fuit occupata; Pęnis mox paruit; subinde Romanis se dedit; a quibus immunitate, & libertate donatur, ac Senatus prærogativam accipit. Fovit tunc temporis, quasdam Romanorum familias, quumque in civiles discordias aliquando abiret, C. Claudii Pulchri Siciliæ Prætoris authoritate pristinæ tranquillitati, Magistratus electionibus nova lege constitutis, restituitur. Hic est, cui *Alæsinos* e marmore statuam posuisse, conjecturis agens Selinuntes Drogonteus, seu Lancellottus Castellus, vir apprime eruditus affirmat. Extat illa inter *Alæsæ* ruinas dudum inventa, in foro Thusę pene integra, cum insignibus, fasce scilicet virgarum ad pedes; sed sinistra caret manu, quæ in Ecclesiæ sacrario servatur, & securim prehendit. Hanc, quod effictam voluerint Thusenses elapso sæculo, ab ingenuo cive accepi, eratque superioribus annis brachio appicta. Laudatus

vero

vero Castellus, ejusdem artificis fuisse opus cum statua adstruit,, & vetustissimam dicit.

Sub Caii Verris prætura *Alæsam* varie divexatam cum aliis insulæ civitatibus Tullius in suis contra Verrem Actionibus testatur, laudatque illam his presertim verbis Act. 3. *Siciliæ civitates multæ sunt ornatæ atque honestæ; ex quibus in primis numeranda est Civitas Halesina; nullam enim reperietis, aut officiis fideliorem, aut copiis locupletiorem, aut authoritate graviorem*. Post Romanæ Reipublicæ casum sub Augusto & successoribus immunitatis quidem privilegium amisit; Plinius enim inter Stipendiarias *Alæsam* enumerat; Municipium nihilominus evasit, & jure Civitatis ejus incolæ donati sunt; quod satis inscriptio evincit ab laudato Castello relata, ubi legitur: *Municipium Alæsinum*. An circa hęc ipsa tempora Episcopalem sedem habuerit, aut saltem Græcis Imperatoribus insulæ potentibus id illi decus obtigerit, subdubitat Pirrus. Dispositio enim Leonis Sapientis sub Syracusano Metropolita *Alæsæ* Antistitem recenset; verum in novissima urbis hujus historia a Castello summo studio, & eruditione elucubrata, Dominici Schiavo Epistolam offendes, in qua solidè id momenti eximius vir disquirit, Leonisque & aliorum dispungit rationes.

Quo denique tempore *Alæsa* perierit incertum. Strabonis quidem ætate opidulum erat: *Halæsa*, ait hic, *Tyndaris*, *&* *Cephalędium opidula sunt*. Sæculo Christi VI. ejus extat memoria in donatione Tertulli Monasterio Casinensi facta, quam refert Leo Ostiensis in Chronico, firmatque ex veteri Calendario Mabillonius. Sarracenis idcirco insulam vastantibus disjectam fuisse, communis fert opinio. Aratur hodie

tota, & præter S. Mariæ de Palatiis Ecclesiam juris Episcopi Pactensis cum aliquot adnexis ædificiis, quæ in usum Monachorum ejusdem Ecclesiæ constructa erant, vix rudera spectantur. In marmore nihilominus, cujus meminit Fazellus, utrinque literato, in laudata Alæsina historia ære expresso, aliisque monumentis, quæ olim publica eximia opera *Alæsam* ornaverint, eruit Castellus. Extabat igitur Apollinis fanum, de quo apud Diodorum lib. 14. ubi ejsdem ritibus Herbitenses & *Alæsini* affines populi sacra faciebant. Templum item Milichii, sub quo nomine aut Bacchus, aut Juppiter veniebat; Templum Veneris, cujus in Verrem Act. 3. meminit Cicero; tum illud Adrani, qui Siculis Deus erat indigena. Balneas quoque memorat Tabula, & aquęductus, quorum vidit Fazellus vestigia, & hodie supersunt; Ærarium præterea & Turres. Minora alia monumenta veluti statuarum frustra, icunculas ex argilla, inscriptos lapides, sed diffractos, ac numismata ab se in *Alæsæ* agro inventa Castellus recenset. De statua Prætoris jam dixi; Phialas denique, lucernas, æneumque serpentem ibidem effossum in S. Nicolai Catanense Museum Ego intuli.

Jam in Numis Apollinis, & Jovis capita exprimuntur, eorumque tesseras & symbola in postica facie advertes; manus videlicet conjunctas cum Caduceo, Concordiæ signum, Lyras, Arcus, Aquilam, hastatum militem, Apollinis figuram & similia. Epigrapha est una in omnibus ΑΛΑΙΣΑΣ. adjunctis notis APX. idest *Archonidis* ad nostram ab aliis in Sicilia Alęsis distinquendam. In lapidibus cum Græcè, tum Latinè literatis Diogenis, Lapironis, C. Virgilii, Cornelii Schiziæ, Augusti Municipii, fit mentio; quos ne

ne longus evadam, prætereo. Videndi penes eumdem Castellum, quo facem præferente, hucusque dicta exposui. De Portu Alæsino hæc Cluverius. *Portum etiam habuisse olim in littore constructum, vel unus Cicero satis luculentus est testis, qui in Ver.* III. *sic habet: Enna mediterranea maxime est. Cogo, ut ad aquas tibi frumentum Ennenses metiantur; vel Phintiam, vel Halesam, vel Catanam, loca inter se maxime diversa, eodem die, quo jusseris deportabunt.* Quod hodie sit eidem orę Portus sub Thusę Castello, seu navium statio, ubi ab aliquot ventis tutæ naves consistunt, alibi affirmavi in Notis ad Fazellum, quod autem *ingens, grandis,* aut *magnus* fuerit ibi *Portus,* nusquam literis me consignasse memini, uti Castellus, me immeritum idcirco sugillans, prodit. Æquis ideoque lectoribus judicium remitto.

ALÆSÆ in Mediterraneis. Alias in Sicilia Civitates *Alæsæ* nomen usurpasse ex Diodoro discimus, uti supra expensum; sed ex veteribus ubinam fuerint, tradit nemo. Plinius inter Mediterraneos insulæ populos *Halæsinos* enumerat; est porro ad aquilonare ejusdem latus Colesanus frequens opidum, & quod a colle proximo Alæsano sit dictum, incolę tradunt. Extant aliunde in colle contra opidum ad M. circiter pass. occasum versus, rudera, quibus illi opinionem confirmant suam. Mallem Colesanum ex aliis *Alæsis* unam fuisse, sed vulgi vocem profero, nihilque interim statuo. In Actis SS. Luciæ & Geminiani Mart. *Alæsa* memoratur inter Tauromenium, & Symethum, sive Onobalam fluvium [Nam Acta Symethi nomine hunc perperam intelligunt] in latere quidem orientali; Sed Actis illis, quod legitima non sint, notam inurunt Eruditi. Incerti proin situs Mediterraneæ *Alæsæ* erunt.

ALÆSUS Amnis. Vide *Pitinęus* & *Letus*.

ALÆSINUS Fons Solino cap. 11. & Rhemnio Fannio Periegesis Dionysii Interpretri memoratus, qui & si quietus, tranquillusque suo e lectulo saliat; ubi tamen tibiæ insonant, exultabundus veluti ad cantum elevatur, vocisque dulcedine captus, ultra margines intumescit. Fannius ex Solino exscripsisse creditur; Solini porro fides sublesta. Vel fabulis hinc accensendum prodigium hujusmodi; vel dęmoni, tunc Etnicorum mentes falsis ostentis decipere assueti, ex Cajetano in Isagoge adscribendum. Ad quam porro ex *Alæsis* pertinuerit, Scriptores illi non aperiunt.

ALBA-VILLA Græcorum Albanensium olim Opidum, unde ab illis nomen etiam sortitur, & *Gręci* appellatur. Sub Ætna ad hibernum sedet occasum in Adranensi agro *Callicari* dicto; ejusdem proin Civitatis & Comitatus veluti municipium ad 11. pass. M. dissitum diu fuit. Ortum circa annum MCCCCLXXX habuit, quo ex Epyro Græcorum Colonię, a Turcis divexatæ in Siciliam trajecere, uti satis dixi de Plana Græcorum disserens Tom. 1. par. 2. Illorum enim aliquot ab Adranensi Comite loco impetrato, lętissima planitie aquis irrigua, in austrum prona, delecta, quæ humiles ab aquilone habet colles, exiguas primum casas sibi condiderunt; paulatimque coalentes, Græco relicto ritu, ad Latinum transierunt. Princeps est illis templum, atque unicum parochiale, Deiparę de Eleemosyna dicatum, satis concinnum, aquilonem versus situ eminentiori situm. Hinc opidanorum extenduntur ædes, quarum aliquot elegantiam non desiderant. Ampla & perpetua via ab ortu ad occasum, forum in centro habet venale, & area terminatur, quam Minoritarum Reformatorum excipit cœnobium, sub

S. An-

S. Antonii auspiciis ab anno MDCLXXXIV. fundatum. Virginis Annunciatæ sub foro decentissima ędes, cum area, S. Francisci de Paula alumnis ab Josepho Piccionio insigni ac pio Sacerdote conditore aliquando attributa, iis nuper abeuntibus, ad Presbyteros, qui cultui Divino intendunt transabiit. Virginum Gynecęum prope majorem Ecclesiam hoc etiam sæculo coaluit. Filiales demum & Sodalitis addictas sacras ędes numerat opidum IV. Vetus tutelaris S. Zeno Martyr. At festum S. Placidi Abbatis diem ingenti pompa, III. Nonas Octobris incolæ celebrant, ac veluti Patronum illum quoque reverentur. Subest Clerus Catanensis Episcopi Vicario; Civilem ab anno MDCLXXX. proprium habet Magistratum, quandoquidem ipso fundationis initio, uti Adranensis Comitatus pars, Adrani administris subdebatur. Census anno MDCLII. primùm initus, lares 576. incolas 2241. exhibuit; Sęculi hujus anno XIII. focos 1128. cives 4202. novissimus 5307. descripsit. Ager ab ortu vallo S. Philippi, quod aquas copiosissimas ex Ætnæ collibus excipit, diffisus, frugum ferax; ab austro vineis consitus, angustusque, campis imminet ad Symethi ripas extensis; ex hac idcirco plaga undique conspicuum opidum sese ostentat, quod iisdem gradibus longitudinis, latitudinisque cum Adrano locatur. Laudat in sua Bibliotheca Mongitorius Franciscum Gemmam, qui de Ætnensi Incendio Poema edidit; & Jacobum ejus filium, Musis etiam acceptum.

ALCANTARA Fluvius. Vide *Cantara*.

ALCARA Opidum, de *Fusis* appellatum ad alterius opidi cognominis in Valle Mazarensi discrimen, quod de *Friddis*, uti vidimus, vocant; in Salebroso profundæ vallis latere, quam Montesori Fa-

zello

zello & aliis memorati efficiunt, locatur, ac in meridiem, ortumque respicit. Montesori porro colles longo tractu a Troyna ad S. Philadelphum opidum protenduntur, amœnissimis sylvis, fructiferisque arboribus convestiti; hinc nostræ *Alcaræ* situm perquam jucundum reddunt. Imæ vallis sinum Chydas, Rosmarinus vulgo, fluvius occupat (Cluverio alius est Chydas) qui fontibus circa *Alcaræ* fines scaturientibus notabiliter augetur. De *Alcaræ* origine multa tradunt opidani, & castrum ejus Taurianum appellatum, vetustissimum evulgant. Fazellus Crastum Antiquis memoratum, ab *Alcara* haud procul olim positum scribit, cui Cluverius, alibi illud statuens, adversatur. *Alcaræ* ceterum mentio prima occurrit in Rogerii Comitis Diplomate, Troynensis Ecclesiæ favore signato, in quo *Taurianum Castrum cum omnibus pertinentiis suis in Valle Demana, & Castrum, quod vocatur Alcara* illi attribuitur. De *Taurianes* Siculo Episcopo Theodoro in Actis Nicenæ II. Synodi celebris est recordatio, Pirrusque, qui nullibi *Taurianum* in Sicilia extitisse asserit, subdit nihilominus: Rogerium Comitem Roberto Episcopo Troynensi inter alia Tauriani castrum subjecisse. Atenim in Acta illa irrepsisse errorem Ego dixerim. *Alchares* porro vox Sarracenica, hodie *Alcara*, id nomen eorumdem Sarracenorum ævo huic loco appictum dubio procul evincit. Hinc in Arabo Itinerario sæpius memoratur, Rogerii Regis ætate scripto.

Jacet hodie arx *Tauriana* magna ex parte, passamque ruinam credunt incolæ ex terremotu de an: MCCCCXC. Subest illi opidum *Alcara*, in quo majus templum Deiparæ Annunciatæ sacrum, edificiis nobile spectatur. Sacellum in eo præ aliis nitet S. Nicolao

colao Anachoretę dicatum, qui opidanis patronus est præcipuus. Quamvis illi Virginis Assumptæ, uti tutelaris festum etiam diem celeberrimum habeant. Majori Ecclesiæ suffragantur duæ aliæ, S. Pantaleonis Martyris, & S. Nicolai Episcopi, in quibus sacra etiam populo administrant Sacerdotes ab Archipresbytero designati. Bina quoque Minoritarum asceteria, Conventualium sub S. Michaelis nomine ab anno MDXXIII. ad oram opidi, & Capuccinorum extra anno MDLXXIV constitutum, opido decorem conciliant, unde eximii doctrina viri prodierunt, de quibus infra. Virginum denique sub S. Benedicti regula monasticen profitentium conclave se offert. Quæ sane omnia de Archiepiscopi Messanensis Parochia sunt, jus quoque temporale habentis; appellatur ille idcirco *Alcaræ* dominus. Archipresbyter, Vicarius & Visitator juxta Messanensis Ecclesię leges curam gerunt in foro spirituali; Civile autem regimen Jurati IV. Viri Criminum Quæstor, Syndicus, & Judex, a Regiis Ministris, & ab Archiepiscopo adlecti gerunt. Erant sæculo XVI. lares 586. incolæ 1438. Sequentis verò medio foci 501. lares 1681. Initio hinc decurrentis lares 356. incolæ 1225. in novissima demum descriptione hi 1768. censi sunt. Opidi insigne Aquila volans, rubram in pectore crucem referens. Latitudo graduum est XXXVIII. V. longitudo XXXVIII: XX. Sub Turturicii demum Comarchia, & S. Philadelphi Militari Præfectura concluditur, huicque equitem unum, pedites XXXVI: suppeditabat.

Viros aluit illustres: Cosinam ob doctrinæ præstantiam cognomento Theologum, Ordinis S. Basilii, Monasterii S. Mariæ de Rogato Monachum, qui S. Nicolao Eremitæ a sacris confessionibus fuit, ejusque

que probavit virtutes, ac vitam literis consignavit. Philippum Salernum Minorem Conventualem, qui eloquentiæ specimen variis orationibus typis editis, orbi literario exhibuit, quali autem in Divinis literis peritia effulserit, munia, quæ summo cum plausu gessit, testantur. Publicæ enim Viennensi Academiæ, Sacræ Scientiæ Antesignanus ad sexennium egregiè consuluit, & Ferdinando Augusto Theologus adhæsit. Hunc in Pragensi universali Studio fundando maximè juvit, & Cathedram in eo Theologicam aliquando est moderatus. Plures in Germania rexit provincias, uti & Siculam; Senesque in patria mortem expectavit anno MDCLXXVI. Michaelem Buam Philosophum, Medicum, & Poetam eximium, Aurei Calcaris Equitem, qui Romæ, Melitæ, ac Messanæ diu inclaruit; decessitque decrepitus MDCLXXXVII Natalem Donadeum, Medicum, & Poetam non inglorium in Bibliot: Classica Draudii, & apud Mongitorem commendatum. Scripsit de *Bello Christi* carmine Latino, & alia. Michaelem Angelum Cassarum Sacris studiis intentum, ac Musicis; Medicinę & Mathesi apprime addictum; quorum illustria monumenta reliquit, sed solùm de *S. Nicolai Vita Poema* edidit. His addendi Artis Musices peritissimi: Vincentius Gallus, Victorius Laudus, Franciscus Brunus, Joannes Vincentius Valenti, omnes elapso sæculo publicos in primariis civitatibus concentus moderatores, quos ob vulgata opera laudat idem Mongitore. Memorandi demum Antonius Sardus S. Mariæ de Rogato Abbas, & Joseph Riccardus, egregios Verbi Dei per annos complures, in Siculis, Italisque sacris rostris præcones; necnon Nicolaus Chiuppo, & Placidus Merlinus Poetę non invenusti.

Alcara

Alcaræ ager inter ejusdem regionis feraciores, optime enumerari potest, aquis enim copiosis rigatur, oleas, vites, morosque nutrit, nec oleribus caret. An circa illum olim *Demenna* opidum steterit mox infra discutiam. In vallis altero latere contra aquilonem ad MD. pass. S. Mariȩ de Rogato Ordinis S. Basilii Monasterium assurgit, celebre dudum ob ascetarum pietatem, & Deiparæ Virginis signum, quod summa religione circumpositi mortales colunt. Perstat Ecclesia, adjunctæque Monachorum ædes, sed hi penitus defecerunt. Ab hoc loco III. pass. M. in clivo *Calanna*, antrum inter dumeta, & asperrimas cautes aperitur, ubi diu soli Deo cognitus, S. Nicolaus Polito Adranensis vixit, sanctoque fine excessit. Habent illum *Alcarenses*, uti innui, in specialem Patronum, festum ejus diem sollemni pompa cum nundinis XVI. kal. Septembris celebrant, & sacras exuvias corporis ingenti cura custodiunt. Ad *Alcaræ* littus contra Æolias insulas, olim Æneam exscensionem fecisse, tradit ex Dionysio Alicarnassensi Fazellus, ibique Patronum Thurium navigationis socium reliquisse cum aliquot ex suis, ut opidum in colle constitueret. Verum alibi Dionysius post Orlandum promontorium id accidisse videtur asserere. Est in eodem agro S. Theodori campus, quem in Taurianes Episcopi Theodori, de quo egi, memoriam, ita nuncupatum opidani evulgant.

ALEUM Opidum, vulgi voce *Aly*, in collis jugo; unde Messanensis freti, & Jonii subinde maris amœnissimus est prospectus; ortivæ insulæ oræ prominet, & XV. pass. M. Messanâ abest in meridiem. Illius conditum Ælidensibus Græcis Placidus Sanperi nuperus author adscribit, qui deducta, uti ait,

colonia, in colle *Migliorino* primum sese statuerunt ad Promontorium, hodie *Caput Grossum*, ac juxta nonnullos *Argenum*. Ibi autem quum sępissime piratarum incursionibus exagitarentur, in montem Saturnium, nunc *Spraverium*, translatis sedibus, aliquando opidum non incelebre coluere; unde multos post annos ob cœli inclementiam profecti, locum sub eodem monte III. pass. M. a mare refugientem, tenuerunt, quem ab antiqua patria Ælide *Ælim*, & subinde corrupto vocabulo *Aly*, ac eruditi *Aleum* nuncuparunt. Hæc Samperius, sed nullo veterum testimonio, ac solis rem agens conjecturis evulgavit, quòd plurima indicatis locis vetustatis appareant monumenta. Cętero Sarracenis Siciliam vexantibus extabat; Rogerius enim Comes MXCIII. id opidum Monasterio SS. Petri & Pauli, ejusque Abbati Gerasimo, consequenter subjecit. Collis porro, quem occupat, aliis vicinis adjunctus ad Saturnium, ea in regione celeberrimum montem spectare videtur.

Ferunt, quod tutelarem sibi præcipuam B. Agatham Virg. & Mart. Catanensem adsciverint opidani, quum hujus sacræ exuviæ in patriam deportarentur; ad littus quippe sacri thesauri custodes cum Catanensi Episcopo Mauritio sub *Aleo* appellentes, uti opidanis summa frequentia, nec minori pietate occurrentibus, rem facerent gratam, velum, ubi lipsana involvebantur, in perenne pretiosumque monumentum illis reliquerunt, quod susceptum in opidum ingenti pompa intulere, eidemque Virgini sese deinceps addixere. Templum itaque decentissimum sub illius nomine tunc ædificantes, veluti Princeps habuere; prima enim Ecclesia apud *Aleum* Beatæ Virgini de Gratia dicata passim creditur, quę extat hodie

die inter minores. Quum vero fortuito incendio ędes illa S. Agathę conflagraſſet, novam, magnificentiorem excitare MDLXXXII. curarunt; nulliſque parcentes impenſis, in eam, quam modò demiramur elegantiam, ad coronidem uſque promoverunt. Patet in longitudinem palmos CC. lata eſt LXXX. alta C. tholuſque CL. excedit. Navis præcipua integris lapideis columnis XVI. fulcitur, majus altare totum e marmore variegato conſtat, uti & utriuſque lateris ſacella, omnia denique magnifica, & primaria urbe digniſſima nitent. Frons præterea ornatiſſima, cujus eſt cum in ſubjecto littore, tum e mari proſpectus ſat celebris; in editiori enim opidi loco aſſurgit, & reliqua non contemnenda ædificia facile ſuperat.

*S*uffragatur eidem Beatæ Mariæ de Roſario ſacra ædes, ubi populis Divina miniſtrantur ſub Sacerdote Archipresbyteri, adjutore; unus eſt enim Parochus in S. Agathæ. Sacramentis etiam ſufficiendis in S. *S*piritus Eccleſia navatur opera, ubi inſignis Laicorum ſodalitas coaleſcit. Huic adnexum iri Monialium conclave dudum cives ſperabant, atque ædificia idcirco ſunt inſtituta, ſed opus adhuc incompletum. His ſuccedunt minores aliæ Eccleſiæ VI. quę ſuis non carent ornamentis, haſque inter S. Mariæ de Nemore vetuſta enumeratur, Italenſi Baſiliano Monaſterio ſubjecta. Non longè a pomerio Minoribus Capuccinis fovendis illuſtre cœnobium aſſurgit, ſub S. Mariæ de Angelis titulo, ab anno MDCLXXIV. erectum, cujus eſt ſacrarium Sanctorum Lipſanis dives; Tyrones ibi ad probationem recipiuntur. Magiſtratum Civilem, Decuriones IV. Syndicus, Criminum Quęſtor, ac Judices conſtituunt, quos Regio Senatui parentes Abbas SS. Petri & Pauli de Itala, uti dominus

 tempo-

temporalis, cum Rogerii Comitis indultu, tum Friderici III. privilegio quotannis designat; Sed sacra jura ad Archimandritam, uti innui, quum spectent, hic suum Vicarium deligit, Archipresbyterumque instituit, & alia Episcopalia in opido exercet. Ager longe, ac late patens ubertate prçcipuus, exquisitissima gignit vina, antiquis & recentioribus celebrata; Moros non levi copia, oleasque nutrit. Fodinæ generis omnis metalla, æs, argentum, & aurum prçstant; Lazulus quoque lapis, marga, & bolus subtilitatis præcipuæ passim in collibus occurrunt; ac littus prç cçteris, aquis thermalibus illustre redditur; ad eas enim stato æstivo tempore pro morborum varietate, ex omni orientali Siciliæ plaga frequentissimi mortales, & viri Nobiles vel maxime, conveniunt, & saluberrimas cutaneis prçcipuè morbis experiuntur. Census, seu descriptio *Aly* sæculo XVI. lares 407. sub Carolo Rege, ac circa illius exitum opidanos 3817. obtulit. MDCLII. lares 514. incolas 2934. Nostra çtate MDCCXIII. lares 451. cives 1663. non levi jactura exhibuit. Stemma duas effert alas in parma cerulea. Ad Comarchiam, & Militarem Tauromenii Præfecturam spectat, equites IV. pedites XXXVIII. educebat. In gradu denique XXXVIII. XX. longitudinis & XXXVIII. pene latitudinis constituitur. *Alyenses* illustres viri Nicolaus Coniglio, qui ante annum MXCIII. dominus opidi fuit, & elapso sçeulo Petrus Fama, militia insignis, gestisque in ea muneribus clarus, Magnæ Crucis Eques Melitensis, M. C. Judex, hinc a Regiis Rationibus, & Proregis Vicarius. Denatus est Drepani MDCL....

S. ALEXIUS Promontorium, quod vetus esse *Argennum* Cluverius cotendit contra Fazellum, aliosque

que, *Argennum* ad Caput Groffum conftituentes. Imminet mari Jonio à Meffana xxiv. paff. м. a Tauro itidem promontorio vi. diffitum. Afperrimis conftat cautibus, inacceffibile, qua ortum refpicit; angufta, falebrofa, & ardua via ab utroque latere adiri nihilominus poteft, per quam ultro, citroque tranfeuntibus iter aperitur. In faxi fupercilio circa hibernum ortum turris erat, cujus extant veftigia, fortaffe fpecula; fed in fupremo vertice Arx munita, tormentifque opportunè inftructa imponitur, quæ præfidiario etiam militi cuftodienda, fuo cum Præfecto committitur. Subrigitur hinc in occasum collis, quem *Fortia Agrò* opidum occupat. Ad littus Meffanam verfus fub arce pagus eft cum Ecclefia, qui ad Fortiam fpectat. Sacerdos Ecclefiæ curam gerit, incolis facra adminiftrat. De *Argeno* inferius.

ALIMENA Opidum, *Mazza* ab hofpitatoria taberna ad collis latera olim fita, quæ hodie jacet, appellatum. Tabernæ verò nomen ab ejufdem infigne, Leone nempe, Clavam, Siculis *Mazza*, ore præferente fuit appictum. Diœcefis eft Meffanenfis, quamvis initio fundationis ad Catanæ parochiam fpectare Pirrus *Alimenam* affirmet. Vergit ad aquilonem ac ortum, & juga collium occupat inter amnes de *Salinis*, & de *Vanellis*, de quibus fuo loco. Juga porro hæc latiffimè extenfa, nivibus hiberno tempore obducta fæpius, ac diu videntur; quæ inter fupremum circa orientem, & auftrum ab *Hedera*, & vulgo *Areddola* dicitur, ubi diruti opidi reliquiæ extant, & vetuftiffimi quidem; nam lateritii aquæductus paffim occurrunt, a prifcis mortalibus dubio procul, uti ex eorum infpectu præfens erui, extructi. Opidum medio itinere fedet, quo e Catana Panormum

ten-

tendimus,originemque elapsi seculi anno XXVIII. recognoscit ab *Julio Cæsare Imperatore*, seu *Antonio. Alimena* hujus nominis II. Parochiam habet *S.* Mariæ Magdalenæ sacram, quæ columnis suffulta elegantiam præsefert. Minores Reformati in edito loco ad austrum Cœnobium ab anno MDCCXL. decenter extructum incolunt, S. Mariæ de Jesu nomine. Minor alia Ecclesia Sacris Manibus addicitur. Lares continet hodie 336. ex censu de anno MDCCXIII. animas 1255. quę novissimè computatæ 1523. Sed elapo sæculo focos 47. incolas 185. numeravit. Politiensi Comarchia comprehenditur. Marchionatus insignibus denique Philippi IV. beneficio decoratur, & Dynastæ palatio cum area, ubi aquarum fons, instruitur.

Primus ad id honoris assumptus laudatus *Antonius* ipso fundationis anno, qui ex Francisca Urbano & Imperatore Oratium filium suscepit. Hic ante patrem denatus ex uxore Onuphria Colnago *Julio Cæsare* IV. auctus est, & *Carolo* filiis, necnon Dorotea. Primus & secundus improles decessere; hinc Doroteę & Stephani Benzo filius *Hieronymus Benzo* obtinuit, qui *Julius Cæsar Imperator* VI. est nuncupatus, ductaque in uxorem Melchiora Rosso unicam filiam Doroteam reliquit. Ab hujus morte *Julius Benzo* frater *Alimenæ* Marchio dici contendit; *Joseph* attamen *Bosco*, Belvederis Princeps, ex Dorotea natus, sese illi anno MDCCXVII. opponens, ex Siciliç Consularium denique sententia dynastiam sibi vindicavit MDCCXXXVII. & *Julius Cæsar Imperator* VII. renunciatur. Fulget Regi a cubiculo, ac cum Lucretia Lancea Vincentium genuit, Catharinæ Brancifortiæ sacris vinculis adjunctum. *S*edet Marchio in Comitiis loco XXXVI. Ager fert vites, triticum,

legu-

legumina, olera; sed alendis arboribus pene ineptus videtur. Aquarum non indigus in jugis etiam, uti dixi, ubi veterum aquęductuum vestigia; In Bursarę feudo sepulchreta de antiquo proximo opido nos admonent in Colle Hederæ, cujus supra jam memini.

ALTAMIRA Bavusi opidi Vicus, ac veluti Arx cum dynastæ palatio, Marchionatus tessera insignis, qua anno MDXXXIV. fuit decoratus. Spectat ad Cottones. Vide *Bavusus*.

ALUNTIUM vetus opidum, aliis, & Tullio cum primis *Haluntium* & *Alontium*, ad aquilonarem Siciliæ regionem, haud procul a littore, in edito colle, ascensu difficili, uti Cicero testatum reliquit in Verr. VI. *Quum Haluntium*, inquiens, *venisset Prætor, laboriosus, ac diligens, ipse in opidum accedere noluit, quod erat difficilis ascensu, atque arduo*. Quo tamen signanter loco situm fuerit, dubitatur. Stephani Epitomator, uti Cluverius emendat, Calactæ vicinum vulgavit. Plinius lib. 3. cap. 8. *Cephalœdis*, ait, *Aluntium, Agathyrnum, Tyndaris Colonia*. Ptolemęus: *Cephalœdis, Monalis amnis ostium, Alesa, Calacta, Chydæ fluminis ostium, Alontium, Agathyrnum*. Eodem quippe tractu quum duo hodie sint opida, S. Philadelphus, & S. Marcus, & utrumque vetustatis reliquias servet, quodnam ex his *Aluntio* suffectum fuerit, controvertitur. Fazellus Aquas dulces in littore, ad *S*. Philadelphum spectantes *Aluntio* subesse scribit Lib. I. Dec. I. mox lib. 6. cap. 4. *Nonnihil infra S. Philadelphum opidum Aluntium vetusta jacet urbs, cujus adhuc mira, & ingentia, & pro majori parte disjecta cernuntur monumenta. Lapidem marmoreum vetustissimum, ac magnum offendi Græcis inscriptum literis. Per urbem quoque ipsam magna*

gnæ, ingentesque vetustorum operum ruinæ jacent. Hunc opidi *Aluntini* locum scite indicasse Fazellum, Cluverius affirmat lib. 2. cap. 4. Atenim Gualterius in Tabulis apud S. Marcum *Aluntii Municipii* clarissimam haberi mentionem tradit. Affert enim lapides complures ibi repertos a num. 308. ad 317. quorum tres *Municipium* memorant: 1. *Liviæ. Augusti. Deae. Municipium.* 2. *Municipium. Alontinorum.... Beneficii. Caussa.* 3. *Augusto. Divi. F. Pontif. Max. Municipium.* Hos porro e colle sub S. Philadelpho ad S. Marcum delatos si dixeris, insulse id te promere illorum numerus, ac moles evincet; nam esse aliquot prægrandes lapides, nec minus quàm ix. idem Gualterius dicit, uti de S. Marco loquens inferius reponam; neque ulla inter utraque opida aliunde necessitudo intercedit; neque S. Philadelphi incolæ, ad quorum spectant agrum rudera illa, Sanmarcensibus, uti sibi lapides illos vindicarent, permisissent.

Verumenimvero cujusnam veteris urbis fuerint ingentes illæ reliquiæ, quadrati lapides, infra *S.* Philadelphi opidum occurrentes? Nullam Scriptores indicant Plinius, Ptolemæus aliique. Hinc adhuc sub judice dixerim esse *Aluntii* situm. De ejus origine ita tradit Dionysius Alicarnassensis lib. 1. ubi de Æneæ peregrinatione loquitur: *A Buthroto Jonium mare trajicitur: ductoribus navigationis aliquot, qui qui se ultro comites addiderunt; assumpto etiam Patrono Thurio cum suis. Horum plerique retro, unde venerant, reverterunt, postquam exercitus in Italiam incolumis pervenit. Patron verò ab Ænea persuasus, uti una in coloniam iret, & quidam ex suis sociis, manserunt in classe; quos nonnulli ajunt, sedes fixisse*

in

in Aluntio Siciliæ opido. Ad Trojana itaque tempora *Aluntium* si adscribitur, ex antiquissimis Siciliȩ dubio procul fuit. Duo ejus ex ȩre numismata Paruta protulit, habet unum in antica area caput lauro redimitum cum ejus inscriptione ΑΛΟΝΤΙΝΩΝ. in postica Bovem inclinatum, sub quo litera A. Alterum caput exhibet hederacea cinctum victa; & lauream coronam, in cujus medio eadem epigrapha *Alontinorum*. Celebrat Cic. in Verrem VI. *Archagatum Haluntinum, hominem non solùm domi, sed tota Sicilia in primis nobilem, cui Verres negotium dedit, ut quidquid Haluntii essent argenti cȩlati, omne statim ad mare ex opido deportaretur*.

AMASTRATA Civitas, aliter *Amestratus*, hodie *Mistretta*. Silius metri caussa, decurtato vocabulo lib. 14. *Comitata Nemæis*
Venit Amastra viris

AMENANUS Amnis, qui Catanam occultis canalibus interfluens, ac sub australibus ejusdem urbis mœnibus sibi hodie ostium aperiens, mari illabitur, *Amasenus*, *Amenas*, & vulgi voce *Judicellus* dicitur. Maurolycus ejus apud Randatium, circa septentrionales Ætnæ montis radices, esse fontes, ubi lacus est *Gurridas*, tradit. Hujus enim aquæ subterlapsæ, nusquam, pluviis etiam, & nivibus auctæ, foris affluunt; sed Catanam usque, XL. circiter pass. M. dissitam, decurrentes, ejus in littore se pandere creduntur. Decrescere hinc *Gurridam*, ac minui illius aquas ajunt, quoties *Amenanus* disruptis, quos pervadit meatibus, medias ejusdem urbis vias occupat. Celebratur Poetis Pindaro, Ovidio, Claudiano; Historicis, & Geographis Ptolemæo, Stephano, Straboni, & aliis. Quod nunc fluat, interdum verò suppressis fontibus

 areat,

areat, ex Ovidio, quod per aliquot annos destitutu. aquis, deinde iterum fluat ex Strabone, inde evenit, quia canalibus, quà natura, quà civium quoque industria efformatis, aquarum illius redundantiam minimè capientibus, erumpens aliquoties foras, inferiores urbis regiones invadit; mox illis imminutis rursus conditur. Mea ætate exundantem, defecisse verò omnino numquam adverti; quamvis aliquando aquis destitutum, alveo minus pleno, maris undis sese adjunxisse viderim. Carreræ nihilominus ætate per annos ferme XII. penitus, ut ipse testatur, exaruit, adeoque aliò viam sibi aperuisse credebatur. Atenim circa Martii exitum MDCXXXIV. ingenti civium lętitia rediit, ac suum in alveum dilapsus est. Quo quidem sensu etiam Ovidii, Strabonisque sunt verba intelligenda. Fazellus, & Cluverius, aliique ex genticis Scriptoribus, quod ex Ætnę radicibus fonte nondum satis pervestigato ortus, mediam urbem pleno alveo interfluat *Amenanus*, evulgant, obturatisque interdum fontium venis, per annos aliquot evanescat, rursusque subito æstu erumpens, crassiorem, pestilentemque efficiat aerem tradunt; Sed quo pacto evanescat jam vidimus, quod aerem vero inficiat egrediens, experientia docet. Quod cladem denique inferat, uti illi subdunt, dixerit nemo. Fluminis hujus genio numos signasse Catanenses, Carrera cum Archangelo scribit, & *Camasèni* epigrapham in illis exaratam promit. Verum Pancratius eosdem se vidisse Panormi ait, quorum erat inscriptio AMENANOC. Ejus aquis molis triticeis volvendis per urbem, & circa mœnia, utuntur Cives, & ad bibendum undique illas utpote dulcissimas hauriunt.

AMESTRATUS Opidum, *Mistretta* hodie, vetustissimum, Græcis *Mytistratum*, de quo Polybius lib.1.

Captus est & Mytistratum, locus natura munitus, & qui idcirco obsidionem diu toleravit. Diodorus vero lib. 23. *Mytistratum tum obsederunt Romani, multasque ad hoc machinas fabricaverunt, sed post menses* VII. *re infecta, multis suorum amissis, inde abierunt*. Et paullo post: *Mytistratum tertio obsessum tandem Romani ceperunt, opidum solo aequarunt, superstitibus sub corona venditis*. Gerebatur tunc primum Punicum bellum, praeraptque Romanis Aulus Acilius, & Cajus Sulpicius. Ex diuturna porro horum oppugnatione, quam fusius describit Zonaras, munitissimum natura, & situ opidum fuisse *Mytistratum* evincitur. Hinc illud describens Fazellus ait: *Mytistratum Polybio lib. I. est pervetustum opidum. Amestrata Ciceroni, & Plinio dictum, hodie vero Mistretta appellatur. Vetusti opidi circa montem plura spectantur monimenta, & arx vetustissima*. Consule *Mistretta*.

S. ANGELUS DE BROLO Opidum frequens, ac dives, ab arce *Broli* proxima, sat in ora aquilonari *Siciliae* celebri appellatum, uti ab altero ejusdem nominis in Valle Mazarae de *Muxaro* dicto discernatur. Abest a littore III. circiter pass. M. Ubi enim inter Calavae, & Orlandi promontoria, sinus intermedius nonnihil curvatur binae valles amoenissimae, ab aquarum confluvio, Siculis *Flumariae* nuncupatae, occurrunt, in quarum una elevato situ *S. Angelus* assurgit, in altera *Brolus* arx mari imminet, uti suo loco. Nostri opidi solum declive est, vergitque in occasum & aquilonem. E valle enim facilis, brevisque ascensus ad Parochialem SS. Philippi & Jacobi ędem prębet aditum, mox pene in centro altera S. Mariae nomini sacra, quae vetustior & prima censetur, se offert, pulchris aedificiis ad non vulgarem magnificentiam or-

nata. Tertia *S.* Nicolai Episcopi titulo gaudens imminet, atque supremas demum occupat plagas SS. Salvatoris Ecclesia. Quatuor hæ jura parochialia habentes, alternatim singulis quadrienniis, Majoris funguntur muniis, uti dudum ad jurgia compescenda decretum, suisque Clericorum cętibus instructæ, sacros Ecclesiæ ritus decentissimè celebrant. Pro instituendo Canonico Collegio Martinus Tavianus, suas dicavit opes, sed adhuc res exitum expectat.

Supra opidum planities extenditur, ubi S. Michaelis Archangeli celebre, & vetustissimum sub S.Basilii institutis Monasterium conspicitur, structura omnino spectandum, dote, privilegiis, supellectile, ac insigni S. Archangeli marmoreo simulacro, aliisque ornamentis paucis secundum; Ejûs enim Abbas olim ex ordine assumptus, hodie Fiduciarius ab Rege nominatus, opidi dominio temporali fruitur, uti inferius notabimus; Monachi Græco ritu psallentes Abbati suo Regulari, uti appellant, subduntur; Incolæ porro Opidi Archimandritam Messanensem, qui ejusdem est ordinis, pastorem in spiritualibus recognoscunt. Creverunt enim ex paucis, qui Sarracenis superstites, Monachorum usibus designati ab Rogerio fundatore fuerunt, ac Cœnobii supremum Pręfectum recognoscebant. Ad eorumdem in sacris rebus commodum Religiosi alii cętus, decurrentibus annis coaluerunt. Fratrum scilicet Prædicatorum, quorum est Cœnobium studiis pro ejusdem ordinis alumnis destinatum; Ecclesia prope forum venale, S. Antonio dicata, decentissima. S. Francisci de Observantia in S. Mariæ Angelorum cum ejusdem Deiparæ eximia antiqua tabula in superna opidi ora incolentium; Et S. Francisci de Paula ascetarum, qui supremis etiam

pomę-

pomerii finibus ab anno MDLXXXII. occupatis, lętissimo prospectu gaudent. Est denique medio opido Monialium sub S. Claræ institutis, ac patrocinio, Conclave ædificiis nobile, & alumnarum virtute spectandum. Nec Hospitalis Domus ad pauperes infirmos fovendos desideratur, quam ingenua gens de Amato elapso sæculo proprio ęre splendide fundavit; Nec Equitum Melitensium Prioratus in S. Mariæ de Odigitria; S. Lateranensis Basilicæ sub titulo SS. Trinitatis, nec alię demum ad pia opera institutę desunt Ecclesię minores. Civium porro nobilium ædes non exiguam opido conciliant venustatem; quà publicis idcirco, quà privatis totum in prospectu optime constitutum intuentes advenas oblectat, & allicit. Patronum habet singularem S.Michaelem Archangelum. Nundinę hinc mense Novembri, quando Gręcorum ritu ejusdem Divi festus dies celebratur, in area ante Monasterium tota ea regione celebres, ex Regio indultu indicuntur, & largę in pauperes eò convenientes eleemosynę, Nobilis Joannis Angottæ liberalitate ab anno elapsi sęculi XLII. diffunduntur; Pompa autem Ecclesiastica digna est quæ videatur. Civilis Magistratus: Præfectus, Abbatiæ jura vindicans, & Criminum Vindex ab Abbate designantur; Jurati Patres, Judices, & Syndicus Regiis consularibus subduntur, & Clavario uti possunt. Insigne est S. Angeli Tutelaris imago. Comitiis non interest; Sed Abbas in eis cum aliis Ecclesiasticis Proceribus loco XVI. intervenit. Clericis Archimandritæ Vicarius jus dicit. Pactensi Comarchia opidum clauditur, ejusdemque urbis militarem agnoscit Pręfectum, equites XI. pedites II. & XL. sub signis educens. Erant illi sæculo XVI. lares 792. sequenti verò 975. cives hinc numerabat 4099. At decurrentis anno XIII. focos 792. incolas 3039. in censu dedit, novissimeque 3899.

Jam

Jam quod ad opidi originem ſpectat, illud tradunt: Rogerium nempe Comitem Sarracenis hujuſce regionis ad internicionem deletis, in victoriæ monumentum auxiliari ſuo *S.* Michaeli ampliſſimum condidiſſe cœnobium, ejuſque primo Abbati Eraſmo, & Monachis in eo convocatis, ſub *S.* Baſilii inſtituto, agrum circumquaque tribus cum pagis attribuiſſe; unde Sarracenos ejecerat, quorum erant nomina: *Liſican*, Anzan, & *Tondonconon*. In his omnimodam habere Abbatem poteſtatem, citra crimen ſanguinis, & Proditionis, Comes ſuo diplomate conceſſit. Perſtant porro turris vetuſtiſſimæ veſtigia prope Paulenſium Conventum, quæ ad caſale *Tondonconenſe* ſpectabat; *Liſican* contra recens S. Angeli opidum erat, ubi cultiſſimum ſolum cum ſuburbanis civium, & Eccleſia S. Mariæ Annunciatæ *Liſici* vocabulum retinet; *Anzan* denique an fuerit in ſupercilio, ubi rudera habentur, & *Caſtellacci* vulgo appellantur, firmare non auſim; In laudato enim Rogerii diplomate *Anzan*, *Liſican*, & *S. Angelus* veluti caſalia Abbati ſubdita enumerantur, & Monaſterium *S. Angeli de Liſico Tondonconon* in altero Rogerii Regis nuncupatur, cujus Abbati in *Anzan* & *Liſican* poteſtatem Miniſtros conſtituendi, & jus omne exercendi concedit.

Enumerat in hujus Monaſterii notitia Pirrus ſub regulari inſtituto Abbates VII. quorum ſunt nomina: *Eraſmus* ab anno MLXXXIV. *Theodorus* ejus ſucceſſor MCXLV. cui Rogerius Rex ſuo privilegio multa indulſit. Sed ejus regiminis tempora ignorantur, uti & aliorum nomina, qui Abbatiam geſſerunt, ad annum MCCCLII. Tunc enim *Macarius* Friderico III. a Sacello, ab eoque variis gratiis, & privilegiis inſignitus, Abbas dicebatur, poſt quem ſuffectus eſt *Franciſcus Marinus* iiſdem

iisdem honoribus donatus, & immunitatibus auctus. Anno MCCCXCIII. *Angelus* hac fulgebat dignitate, qui a Martino Rege, ut de antiquo suæ Abbatiæ jure, cum in spiritualibus, tum in temporalibus Opidi S. Angeli dominus esset, obtinuit. Sequentis sęculi anno VIII. *Honuphrius Rizzi* genere nobilis S. Basilii asceta, Abbas a suis adlectus ab eodem Rege confirmatur; post quem *Adrianus de Scholaribus* Alphonsi Regis etiam benevolentiam meruit. Hunc *Julianus de Lucchisio* excepit, qui primus Commendatam Abbatiam tenuit. *Bessarion* celeberrimus ille inter Græcos Nicęnus primùm Archiepiscopus; hinc S. R. Ecclesiæ Cardinalis *Juliano* successit MCCCCXLVII. & alii post ipsum Ecclesiasticis primis dignitatibus & muniis insignes, temporales opidi Domini, seu Barones appellati, *Capitaneum* in eo, ex Juratis unum, Judicem, Magistrum Notarium, & Balium elegerunt; nec secus hodiernus Abbas *Antoninus Riggius* ex Principibus Campifloridi, vir moribus, & scientiis clarus, Romæ degens, ubi ad majora properat, iisdem utitur muniis.

Extat inter Prioratus & Ecclesias Monasterio S. Angeli subjectas extra opidum ædes S. Mariæ de Viridariis Pirro memorata, ubi prodigiis clara ejusdem Deiparæ marmorea statua colitur, de qua Albertus varia recenset. In supremo collis vertice antiquæ Ecclesiæ ruinas, & lapideum sepulchrum cujusdam ex Rogerii Comitis commilitonibus incolæ ostendunt, quem a Sarracenis occisum, quum illorum opida Northmanni expugnarent; ibique sepultum perhibent. Ager S. *Angeli* lętissimus, pascuis, vinetis, olivis, moris, fructiferisque arboribus locuples, omni anni tempore salubris, colonos pene innumeros nutrit, ruri vitam agentes; frequentissima hinc illorum tuguria occurrunt;

runt; quæ civium suburbanis intermixta ædibus, pagi speciem veluti objiciunt. Jactat hodie civem satis illustrem Vincentium Natoli, qui diu Panormi in legali foro inter primos effulsit, gradusque omnes conscendit; Regens hinc in suprema Neapolis Curia integritate in judiciis, doctrina, & moribus, comitate demum egregiè se commendavit; reduxque Regii Siciliæ Patrimonii Præses destinatus, seipsum quotidie superare contendit. *S. Angeli* longitudo est grad. xxxviii. xxx. latitudo xxxviii. xv.

S. ANGELI Fluentum hiberno tempore per convallem ejusdem nominis decurrens, aquis collium, quos frequentia occupant opidula, Furnaris, Librizzi, Martini, & ipsa *S. Angeli* civitas, auctum in mare Tyrrhenum se exonerat. Æstate molis sub *S. Angelo* volvendis triticeis, aliisque colonorum usibus inserviens pene sicco alveo videtur. Ejus meminit Fazellus, Maurolycus, & Ferrarius, qui cum Pactensi flumine perperam confundit.

S. ANNA Opidulum in Messanensi olim ditione cujus in Friderici II. Regesto mentio habetur. Ibi enim Franciscus Romeo Regiæ Curiæ obnoxius dicitur, pro *S. Annæ*, *S.* Martini, & Partinico Casalibus; Horum sub Martino Rege, dominam, Census de anno mccccviii. *Antonii*, & *Francisci de Lancea* Matrem appellat. Vetus *S. Annæ* Monasterium ac Prioratum hæc eadem regio dudum habebat, de *Galati* nuncupatum sub *S.* Benedicti institutis, cujus meminit Pirrus in Archiep. Mess. Ecclesiæ Notitia, & Comitissa Adelasię opibus anno mcxxiv. fundatum asserit, subindeque Vallis Josaphat Cœnobio adnexum.

S. ANNÆ Turris promontorio Xiphonio ætnæisque rupibus imposita, quod Caput Molendinorum appel-

appellant; proximum enim vicum habet, cum molis triticeis ad Acim ſpectantibus, cujus Magiſtratus Turris hodie curam gerit; dudum nobilis gentis de Amico Catanenſis inſpectioni commiſſam cum Comitatus titulo; eſt enim illa in ejuſdem gentis agro fundata. Quadra aſſurgit figura, tormentis majoribus inſtruitur, & littoris orientalis precipua cenſetur ſpecula; Sinus quippe Catanenſis id promontorium cuſpis eſt ſeptentrionalis, & Xiphonium idcirco nominatur.

ANNUNCIATA Meſſanæ Municipium ad Septentriones, in *Lingua Phari*, ſecus littus maris cum Eccleſia Deiparæ ejuſdem nominis, & Parochia lares habens 94. incolas hodie 458.

ANNUNCIATA Maſcalis opidi Municipium, vulgo *Quartiere*, a quo in aquilonem ad Ætnæ radices paſſ. MD. diſſidet, Eccleſia inſignitur ſub ejuſdem titulo.

ANTILLUS Vicus eſt ad Savocam ſpectans, ab orientali littore haud procul, vulgi voce *Antidu* & Rocco Pirro *Antellis*. In eo Parochialis Eccleſia Deiparæ ſacra, ſub Savocæ jure.

S. ANTONIUS Opidum, aliter Acis Superior, de quo conſule *Acis S. Antonius*.

S. ANTONIUS Caſtri Regalis Caſale ab Eccleſia & Parochia tutelari nomen ſortitur, diſtatque in aquilonem ab urbe paſſ. MD. maritimam oram verſus, ubi *Cottonis* eſt frequens navibus ſtatio.

ANZAN Sarracenorum Vicus, de quo dixi ubi de S. *Angelo*.

APOLLONIA vetus opidum, de cujus ſitu gentici Srciptores opinionibus variant. Aretius enim in littore ſeptentrionali, ubi hodie Pollina opidum, in collis ſupercilio, cui Cluverius accinit; Fazellus no-

ſter in agro Catanenſi, inter Centuripem, & Ætnam, &cum eo Goltzius locat. Maurolycus: Apollonias duas recognoſcit: *Apollonia,* inquiens, *quæ nunc Pollina, juxta Cephalædum, ex reliquiis antiquioris Apolloniæ in agro Catanenſi condita*. Moventur Aretius & Cluverius, quod Cicero Apollonienſem Civitatem, cum Aluntina, & Capitina, aliiſque aquilonaris tractus opidis conjungit Verr. III. *Tyndaritanam Civitatem nobiliſſimam, Cephaleditanam, Haluntinam, Apollonienſem, Engynam, Capitinam perditas eſſe hac iniquitate Decumanorum intelligetis*. Fazellus, qui Engyum circa Leontini amnis oſtium perperam ſtatuit, & Stephani depravatum locum fortaſſe vidit, ubi hic *Apollonias* complures in orbe recenſens, *Septima*, ait, *prope Leontinos & Calactam*. Apud Diodorum vero legit veluti cum Centuripe conjunctam *Apolloniam*, haud longe a regionibus circa Ætnam, hanc locatam adſtruit. Sed enim Engyum alibi ſitum ſuo loco videbimus. Stephani textum optime emendat Cluverius: *Septima prope Aluntinos & Calactam*. Incongrue enim Calactam inter & Leontinos ſtatuiſſet Grammaticus *Apolloniam*, quum Calacta in ſeptentrionali, Leontini in ortiva inſulæ plaga ſedeant. Aluntium aliunde, & Calacta loco conveniunt. Diodorus tandem hæc habet: *Ipſe verò Agathocles per mediterranea profectus, Centuripen noctu, receptantibus eum civium nonnullis, clam intrare conatur, at patefactis inſidiis, quum præſidium ſubveniret, ex urbe pellitur; Hinc a quibuſdam Apolloniæ urbis civibus, qui patriam illi ſe tradituros promiſerant, accitus, eò contendit; Sed proditoribus deprehenſis, ſupplicioque affectis, illius quidem diei oppugnatione nihil effecit, poſtera verò die multis incommodis affectus, poſt magnam*
ſuorum

suorum jacturam, vix tandem urbe potitur, & plerisque Apolloniensium mactatis, bona eorum direptioni tradit. Nocte igitur Agathocles Centuripe pulsus, potuit sequenti die, aut tertia, *Apolloniam* contendere; Nec ideo *Apollonia* prope Centuripem fuerit; & altera die ab obsidione, urbem capere. Cętero alius Diodori locus hic est: *Timoleon Engyum urbem Leptinæ tyrannide pressam aggrediens, continuis eam oppugnationibus fatigabat. Itaque Leptinem terrore ad deditionem perculsum, data incolumitatis fide, in Peloponnesum misit; Et quia Leptinæ dominatum Apollonienses etiam tulerant, Apolloniam simul in fidem recepit, & tam his, quàm Engynis jus suum, ac leges reddidit*. Quum Engyum circa eumdem insulæ tractum cum *Apollonia* stetisse hinc habeamus, atque ex dicendis Engyum haud procul a Pollina sedeat, ibi quoque *Apolloniam* sitam fateamur oportet; semelac ambæ Leptinæ tyrannidem subiere.

AQUILA Collis ad Ætnæ montis meridionalem oram, cujus supercilium, anno MDCXXXV. quando ingens illud erupit ignitum profluvium, a Carrera, & aliis descriptum, ad pass. DCCC. per gyrum absorptum fuisse tradunt, uti in Historiis.

AQUILIA Acis civitas, vulgo *Calia*, de qua jam supra.

ARAGONA olim Casale in agro inter Centuripem, & Adranum, hodie vulgo *Ragona*, ubi turris. Erat anno MCCCCVIII. *Joannis Eschisano*, uti in Regis Martini Censu. Anno ejusdem sæculi LXXIX. ad *Perollum de Motyca* spectabat, qui *Artali Mincio* vendidit; unde ad *Joannem Paternionium* devenit. Tenet hodie *Ignatius Paternionius*, Biscaris Princeps, majorum suorum jure.

ARCHAGETA Apollinis Ducis parva ſtatua non longe a littore, ad Onobolæ fluminis ripas ſita, quod eſt hodie *Cantara*, & Calatabiani appellatum. *Græcorum primi Chalcidenſes,* inquit Thucydides l.6. *ex Euboea claſſe profecti, cum Theocle Coloniæ Ductore Naxum condiderunt, & aram Apollinis Archagetæ, quæ nunc extra urbem viſitur, extruxere; ubi quoties e Sicilia ſolvunt, oraculum petituri ſacrificant*. Hinc Appianus Bel. Civ. lib. 5. *Tauromenium Cæſar delatus præmiſit, qui deditionem poſcerent. Quum verò præſidiarii eum non admitterent, præternavigato flumine Omobala, & Veneris fano, ad Archagetam appulit. Eſt Archageta Apollinis parva ſtatua, quam primum dedicarunt Naxii Coloni, miſſi in Siciliam*. Numi Tauromenitani Apollinis caput cum lauro referunt, & epigrapha ΑΡΧΑΓΕΤΑ. Credit Cluverius Statuam hanc ad Aſines fluvii lęvam ripam, hodie Fluminis Frigidi locatam. Naxum enim inter hunc amnem, & Onobalam conſtituit. Sed alibi Naxi ſitum poſt Onobolam, ubi hodie Schiſon arx, fuiſſe demonſtrabo, & Archagetam, qui extra urbem ex Thucydide videbatur, eo etiam loci ſtetiſſe evincam. Cęſar enim Auguſtus ad Tauromenium oppugnandum prænavigato Onobola Veneris fanum ad *Archagetam* occupavit, uti Appianus loquitur; congruum igitur erat, ut proximiori in loco circa urbem obſidendam caſtrametaretur, & ex Aſine progrediens, qui longius abeſt, quam Onobola, locum ſibi opportunum ad obſidionem deligeret. Jam ſi ad Aſinem *Archagetam* ſtatuimus, Cæſaris Caſtrametatio procul diſſita fuiſſet, nec ad Tauromenium exercitum applicaſſe diceretur. Quod ſimul cum ara & Statua Templum Theocles conſtituerit, uti Fazellus Dec. 1. lib 1. cap.2. aſſerit,

asserit, nullus veterum dixit. Cœterò an de hoc *Archegeta* Olympiodorus apud Fotium in Bibliotheca intellexerit, subdubito. Statuam quippe in Sicilię littore ab antiquis inauguratam historicus enarrat, contra Rhegium, ut Ætnæ montis ignes averteret, tum ut maris transitu barbaros prohiberet; hinc altero pede ille perpetuum ignem premebat, altero verò pede perennem aquam; quod ex vana gentium superstitione nihilominus aut creditum, aut confictum duco.

ARCHI Statio inter Raysculmum promontorium & Mylas, olim *Naulochus*, de quo inferius.

ARCHIMUSIS Collis a Monte Albano opido haud procul, ab *A*dria memoratus. Eò Fridericus Rex sępissime divertens, Raynaldi de Villanova Medici pręstantissimi consilio usus, a podagra levabatur; nocte nihilominus Montem *A*lbanum se recipiebat.

ARCHIRAFIS Turris est in ora Mascalarum maritima, post Caput Siccum cum opidulo paucis ab hinc Joannis Natolis Sperlinghæ Principis opera instituto; *A*grum enim ejusdem vocabuli, quum possideret, ejusdem colonos in unum congregavit, ac Parochialem Ecclesiam S. Mariæ ab Epistola titulo decoratam voluit, *A*rchiepiscopi Messanensis indultu, qui Sacerdotem ad animarum curam deputavit. *Archirafim* appellant quoque locum in Ætnæ vertice, qui aliis, & rectius, Turris Philosophi dicitur, uti inferius reponam.

ARDARIA Messanensis agri opidulum ad meridiem, urbisque Municipium, vulgo *Lardaria*. Subest hodie, uti olim, ejusdem *S*enatus fascibus, & si aliquando Montecatinis fuerit mancipatum, qui *Lardadariæ* Principes adhuc dicuntur. Horum primus *Aloy-*

sius

fius Moncada Caroli II. Regis privilegio MDCXC. Habuit ex Catharina Cirino uxore *Franciscum* heredem, qui Eleonoræ Platamoniæ jure, sibi desponsatę, Rosalini etiam Princeps evasit. Sub eo Messanensis Senatus muninipia sibi vindicans, *Ardariam* quoque administrandam suscepit. *Franciscus Litterium* filium est assecutus, qui cum Rosalia Branciforția S. Antonii Comitissa conjuge hodie vivit. Majus, & unicum Parochiale *Ardariæ* templum *S.* Joanni Baptistæ sacrum est sub Archiepiscopi Messanensis Vicario, curam habente rei sacræ. Illi sex aliæ suffragantur Ecclesiæ, & Eremus satis celebris, opido imminens. Censebantur ejusdem incolæ anno MDCCXIII. in 170. laribus 688; inde 780. ante luem, quæ regionem nuperis annis invasit, & nostrum quoque pessumdedit. Distat ab urbe pass. M. v. & vallem occupat amœnissimam, per quam hiberno pluvio tempore fluentum decurrens proximo mari illabitur.

AREDDOLA Collis supra Alimenam in austrum, *Hedera*. Ibi vetusta, uti innui, nec exigua vestigia Aquæductus præsertim lateritii. Cryptæ præterea satis implexæ, in quas passim viarum grassatores sese proripiunt.

ARENÆ Montes in Ætnæ latere australi, gemini sunt colles conjuncti ab anno MDCLXIX. ingentis arenę vi efformati, quā e proximo camino ignis eduxit; Qui & rubri etiam dicuntur a colore, quem referunt. Vorago sub illis in meridiem, unde liquata ardens materia erupit, ad aliquot passus profunda, in quam descendunt ad arcana naturę operi penitius contemplanda, vomitusque ignei os hodie occlusum demirantur. Patent cœterò colles in gyrum pass. DCC. circiter; damnantur adhuc perpetua sterilitate, quum alii ejus-

ejusdem prorsus indolis, in eadem ferme regione, vetustiores pene toti, virgultis sint convestiti; recentiores vero herbis non careant.

ARENÆ Monasterium *S. Nicolai* titulo, Benedictini ordinis, antiquissimum, Simone Policastri Comite, Rogerii ex Flandrina filia nepote authore MCLVI. quod S. Leonis de Pannachio primum, mox alteri *S.* Mariæ de Licodia cœnobio conjunctum, Alumnis vitæ Monasticæ perfectione celeberrimis effloruit; Monachorum collegio, quamvis hodie destituatur, qui sub Casinensi Congregatione Catanæ degunt, vetusti nihilominus splendoris, & egregiæ famæ decora servat, & congruis ædificiis instruitur. Cœmeterium in summa veneratione est advenis. Cisterna amplitudine spectanda, aliaque monumenta perseverant, quæ ruinis ex terremotu de anno MDCXCIII. superfuere.

ARGENNUM Promontorium Messanam inter & Tauromenium, in fretus pene finibus, quod *S. Alexii* nostra ætate appellatur; Ptolemæo in tabulis est celebre, qui quum in ejus designanda distantia ab Tauro monte a vero aberret; nam pass. M. x. adnotavit, & sunt nonnisi v. Maurolyco ansam dedit, & aliis post ipsum, affirmandi: Caput Grossum veterum esse *Argennum*. At enim librariorum culpa sæpissime in Ptolemæi tabula numerus immutatus, aut male appictus legitur; cœterò quod prætermisso S. Alexii capite, quod vere promontorium, idest mons in mare projectus, voluerit Geographus Caput Grossum sub *Argenni* vocabulo intelligere, prorsus incongruum videtur. An Plinius memorans in hac ipsa ora *Drepanum* promontorium, de *Argenno* loquatur, dubitant Eruditi. Ego Drepanum Caput Grossum intelligo. Vide *S. Alexius*.

ARI-

ARICIA Urbs vetus ex Tullio apud Hofmanni Lexicon ab Archigene Siculo ædificata, uti hic ait, in Septentrionali Siciliæ plaga locanda videtur.

ARTALIA Messanense municipium ad austrum, aliis *Artisia*, & Pirro *Lartilia*, occurrit in fluento amplissimo haud procul a littore, & Regia via ab urbe pass. M. VIII. disjuncta. Parochialis ædes titularis S. Mariæ de Portusalvo. Lares 80. opidani 300. quibus Patronus singularis S. Blasius habetur.

ARSE Cephalædensis Ecclesiæ Casale, *Alcusa* creditur Pirro, de qua Tom. 2.

ARTEMISIUM. Dianæ Facellinæ templum, circa quod opidulum dudum surgebat post Peloridem. Diana quippe Græcis *Artemis* dicitur, ejusque hinc templum Artemisium audit. Silius lib. 14. urbes, populosque Siculos recensens: *Mille Thoantea sedes Fascellina Divæ* canit; Templi, scilicet Dianæ opidum memorat, ac mille ex eo eductos milites. Quod autem Dianam *Fascellinam* appellat, ad Hygini, & aliorum respicit fabulas; ille enim Mythol. cap. 26. tradit Iphigeniam Agamennonis filiam, postquam numinis miseratione, cui sacrificanda erat, mortem evasisset, Thoanti Regi traditam, ac Sacerdotem Dictymnæ Dianæ factam, cum fratre Oreste Deæ simulacro inde sublato, in Italiam confugisse; quumque simulacrum, ut lateret, *Fasce* lignorum advexisset, inde *Fascellitis* nomen Deæ factum. Idem nihilominus a *Face*, cum qua exprimi solet, *Facellinam* Dianam nuncupatam fatetur. Prope Artesinum Sextus Pompejus inter Mylas & Naulochum a Cæsare Augusto devictus ex Appiano, Dione, & Svetonio dicitur: *Cæsari*, inquit Dio, *in Siciliam profecto apud Artemisium Sextus Castra opposuit. Quum vero Agrippam*, scribit

ſcribit Appianus, *appulſurum crederet Pompejus, ad Pelorum tranſcurrit, deſertis faucibus Mylenſibus, quas mox Cæſar occupavit*; *una cum ipſis Mylis, & fano Dianæ, quod opidulum eſt perexiguum, ubi ſolis boves fuiſſe, & Ulyſſis ſomnium factum tradunt*. Ex quibus Dianæ fanum, ſeu *Artemiſium* poſt fauces prædictas ſtatuit Cluverius, haud procul a Mela fluvio, hodie Nucito; quem idcirco Vibius in Catal: Flum: Phętelinum corrupte appellat. Accinit Cluverio Maſſa in Proſpec. Sicil. inter Rayſculmum promontorium, & Mylas *Artemiſium* ſtatuens. Sed ejus extare reliquias nonnulli in agro affirmant poſt Mylas, quem *Sollariam* vulgus nuncupat. Nec abnuere videtur Aretius, qui de Tyndari loquens poſt Mylas, ait: *Fama eſt ad hæc loca cum Dianæ Faſcelis ſimulacro Oreſtem appuliſſe*. De Solis Bobus & Ulyſſis ſomnio alibi de Mylis, ejuſque finibus agendò, nonnulla proferam.

ASINELLUS Fluvius, & ejuſdem nominis opidum poſt Cephalædim. Vide *Iſnellus*.

ASINES Fluvius hodie *Frigidus*, qui agro ampliſſimo, unde originem habet, nomen tribuit. Thucydidi dicitur *Aceſines*, uti optime Clurerius advertit; Malè igitur *Frigidum* alii *Acim* appellant. Fontes habet uberrimos haud procul ab oſtio, quos Ætnæ nives gignunt; copioſis idcirco, & frigidis aquis abundat, nec imbribus augetur; æſtate hinc, & hyeme æqualis eſt illarum copia, & pede tranantur. In agro cognomine Turris eſt celebris, de qua inferius.

AURICELLA Arx in littore aquilonari, & opidum in plaga ortiva. Vide *Rocella*.

AUTOJOANNIS Opidulum in collibus, & ora maritima duo inter promontoria, Taurum ſcilicet, & *S.* Aleſſium, ſeu Argennum. Vide *Leto-Joannis*.



ACENA Vetus opidum, *Abacenum*; de quo actum.

BASIA ex Castri Regalis municipiis ad aust ũ & africu n, II. circiter pass. M. ab illo recedens. Habet ejus Parochia S.Caroli Borromei titulum. Prope locum ostendunt & Ecclesiam, ubi S.Venerandam martyrium pro Christi Domini fide subiisse tradunt, de Vanellis nuncupatam. Haud procul etiam a Casali Arcis a Martino Rege extructæ vestigia supersunt, quę itineri imminebat angusto, ad Insulæ mediterranea ducenti. *Basiæ* adhærent Galatis, & S. Michaelis municipia, de quibus infra.

BARACCA VETUS Crypta est circa Ætnæ montis latera australia. In eam per angustam portam penetrant; moxque spatiosam in vivo saxo excisam testudinem offendunt, in cujus area *hastiludium*, inquit Philotheus, *equo & lancea exerceri facile posset.* In angulo ad boream crypta alia XL. passus circiter longa occurrit, in cujus extremo ex aquarum stillicidiis veluti fons efformatur

BARCELLONETTA præcipuum, ac celebre Castri Regalis Municipium, *Barsalona* Siculo ore. In Regia occurrit via, qua Messanâ Panormum est iter; refugitque ab urbe in septentriones III. M. passibus & Longano abluitur flumine, quod per medium excurrit opidum, incolisque præ aliis frequens est, quibus S. Sebastiani elegans Ecclesia Sacramenta ministrat. Addita huic nuper & alia S. Joannis Baptistæ titulo ab altera amnis parte ad civium commodum. Minores Observantes Cęnobium hinc habent S. Antonii de Patavio

tavio nomine, ab anno MDCXXX. fundatum. Extant prope fluminis alveum pro Monialibus ædes, sed vacuæ ob loci insalubritatem. *Barcellonettæ* australem plagam Naseris Casale contingit, cujus alibi notitiam habes.

BASICO' Casale olim in Mylensi planitie situm, ubi Fridericus II. Rex anno MCCCX. celebris *S. Claræ de Basicò* monasterii fundamenta jecit sub S. Francisci institutis. Id porro Cœnobium in Opidum Ramettæ Rex transferendum curavit, cui Petrus illius filius bona, immunitates, & privilegia MCCCXXXVI. confirmavit, & Casalis jura attribuit. Nec secus Ludovicus MCCCXLIII. ac demum Alphonsus sæculi insequentis anno XLV. Huic Monasterio præficitur prima in Abbatissam Catharina Petri soror, & Friderici fundatoris filia; a cujus morte cum sanctitatis opinione, Constantia Siciliæ postmodum Vicaria, Petri filia illud administravit, & sororem Euphemiam Monialium numero adscripsit, quæ & ipsa Antistes præfuit, & Regni etiam Vicaria effulsit. Blanca, Violanta, Eleonora Regiæ quoque Friderici III. sorores, Margarita amita, ac celebris demum illa Senensis mulier Camiola, de qua in Historiis, eodem in claustro vixere; hæcque postrema post spretas Rollandi Aragonii nuptias, ibi sacrum velum suscepit. E Rametta transvectum Messanam, aut novum ædificatum, illo apud Ramettam perdurante, per hæc tempora Monasterium tradunt, ubi ad hanc nostram ętatem non impari splendore viget.

S. BASILIUS Casale in ditione Messanensi aquilonari, circa Mylas, juris *Liveti Chiccari* sub Friderico II. & *Borgii Cirini*, Martino Regni potente. Casali deleto ad *Marcellum Cirinum* Borgii hęredem anno MDCM. spectabat; hodie *Placido Ruffo* jure uxoris Margaritæ Cirino subditur.

S. BASILIUS Fluvius, Philippo Amico Melas; ſed Cluverio, qui Nucitum Melam eſſe affirmat, ignotus, vel prætermiſſus. Fazellus Dec. 1. lib. 9. cap. 7. *Ad oram ulterius Caſtri Regalis fluvii eſt oſtium.... S. Baſilii ab ędicula ejuſdem nominis appellati, oſtium poſtea ſequitur, quod ex latere occidentali collis, ubi S. Lucia opidum eſt conditum, emanat*. Idem Amicus id oſtium in Mylenſi olim portu fuiſſe tradit; ſed aggeribus ſubinde extructis, mutato curſu ad occiduas urbis illius plagas *S. Baſilii* aquas in mari ſeſe effundere, ait.

BASILUZUS Inſula ex Æoliis una; *Heracleotes* Græcis, ſive *Herculis* Latinis appellata. Abeſt a Lipara in orientem ad x. paſſ. M. & ambitu nonniſi II. M. extenſa, cultui aptiſſima habetur. Ejus meminit Itinerarium Inſulare, & inter Evonymum ac Strongylem locatam dicit, uti Cluverius obſervat.

BATTEATI Opidulum ſub Ætna ſupra Catanam, olim ejuſdem urbis municipium, ad dynaſtas hodie Maſſenſes cum aliis ejuſdem regionis ſpectans. Parochiæ titulus *S.* Mariæ de Annunciatione, ſed incolarum patronus præcipuus *S.* Laurentius Martyr, cujus celebrant feſtum. Speciali etiam cultu *S.* Agatham venerantur, eſtque hujus paullo ſupra Parochialem in Vico de Valentis ſacra ædes. In decurrentis ſęculi cenſu ejus deſcripti ſunt lares 67. animæ 271. ſed in noviſſimo 417. computantur.

BATTUM Caſale ad Cephalędenſem ſpectans Eccleſiam, de quo in Martini diplomate de anno MCCCXCIII., ubi bona ejuſdem recenſet, fit mentio.

BAVUSUM Opidulum, in Regiis tabulariis *Bavoſa*, & apud Aretium de Situ Sicil: *Babuſa*, circa Mylenſes fauces in colle ſitum ad aquilonem vergit, ſubjectumque

jectumque prospicit mare. Lares habet 90. incolas ex novissima recensione 300. quamvis Fazelli ętate laribus 112. fuerit frequens, incolisque 415. Titulo Comitatus ab anno MDXC. Philippi II. Regis privilegio effulget, unica Parochiali *S.* Nicolao Episcopo gaudet, quæ Archipresbytero Ramettensi subest, ac II. minores regit Ecclesias. In edito tumulo Minoritanum eminet cœnobium, olim sub Observantibus, hodie Conventualibus addictum, *S.* Mariæ Anuunciatæ titulo ab anno MDLXXXVI. erectum. Sed & Comitis palatium toti opido superstans, Castri formam imitatur; ideoque *Castellum Novum* dicitur, cum Principatus insignibus, ad quod via ęst populis utrinque consitis jucundissima Vicus quoque in eodem supremo clivo sub *Altamiræ* titulo Marchionatus tesseram præfert; adeout locus idem triplici insignis prærogativa habeatur. Castri Regalis Comarchiam recognoscit, & Pactensis Militię Præfecturam; ac Messanæ Diœcesi comprehenditur. Patronam denique Deiparam de Populo jactat. Agro utitur fructiferis arboribus, vineis, oletis, ac moris ad serici artificium refertissimo, aquis copiosis redundante.

Bavusi sub Aragonensibus prima elucet mentio; Rege Friderico enim II. *Joannis de Manna* hęredibus subjectum dicitur. Emit cum Monforte circa XV. initia *Nicolaus Castagna* Siciliæ Pręses, hinc in Martini censu Curiæ obnoxius idem *Nicolaus* ob *Bavusum* & alia opidula venit. Dotis nomine non diu post ad Pulichinos, & ex his ad Moncadas pervenit; sed anno MCCCCLXXXIV. juris erat *Laurentii Marulli. Saccanis* hinc obvenit, & loco pignoris datur anno MDXXX. *Crisafiis*. Tenuit eadem conditione *Vuillelmus Spatafora* MDCXXX. cessitque tandem *Cottoniis*; *Andreas* enim ejusdem

dem gentis, qui Linguam Groffam fibi conquifierat, *Bavufi* Baro dictus eft. Ex eo *Stephanus*, Comes ejufdem fæculi anno xc. recunciatus. Huic *Andreas* & *Jofephus* nati funt; *Jofepho*, qui fratrem improlem excepit, *Hieronymus* filius fucceffit, hic *Caftelli Novi* Princeps Philippi IV. Regis voluntate etiam audiit. Idem inter xii. Regni viros adfcitus; Triremium cum in Sardinia, tum in Sicilia fupremus Præfectus effulfit, & Flaviam Cibo Petri filiam, ac hæredem cum Nafi Comitatu conjugem habuit; ex qua *Joannem Emmanuelem* fufcepit. *Joanni*, licèt ad primas & fecundas convolaverit nuptias, nulla fuperfuit proles, *Scipio Cottonus* idcirco ex Carolo genitus [fuit Carolus Hieronymi frater] dynaftias anno MDCLXX. eft affecutus. Hic Villarmofæ Princeps, & Altamiræ Marchio etiam inclaruit, atque cum Agatha Amato & Alliata *Philippum* procreavit, qui & Opidi *S.* Catharinæ dominium hodie tenet. Ex eo & Anna Maria Morfo Cajetanus prodiit, Lucretię Cardonię copulatus, Altamiræ & Villarmofæ titulo infignitus. *Bavufi* Comites in publico Regni Confilio votum proferunt xxi.

BELICIS Arx fub Nebrode Monte inter Politium & Colefanum opida. Aragonenfium Regum ęvo fub *Francifci Vigintimillii* poteftate erat, qui totius circumpofitæ regionis dynaftias, & Colefanum tenebat. Poft hujus mortem Regi adjudicatur, moxque cum aliis opidis, ac feudis *Francifci* filiis reftituta. Ad *Henricum Rubeum* fubinde cum Colefano xv. fæculo, & ad *Cardonas*, tandemque ad *Montecatinos* devenit, uti Colefanenfis Comitatus pars. *Belicis* dynaftia feuda fub fe xii. & fatis ampla continet, quorum aliquot hodie peculiares agnofcunt dominos, uti ex occafione inferius dicam.

BEL-

BELLIFLORES Vicus est sub Ætna, supra Catanam ad Vallisviridis Parochiam spectans, ab eaque pass. circiter ac. in occasum hibernum recedens cum Ecclesia S. Antonio Patavino dicata.

BELMONS Vicus Frazano & Mirto proximus, in aquilonari Siciliæ plaga; cujus meminit Fazellus. Jacet hodie.

BELPASSUS Opidum ad Ætnæ australes radices, *Phœcicia Moncada* aliter, ac dudum *Malpassus*. Paternionii Principes Moncadas dominos habet; suntque utriusque agri idcirco confines. Quum Ætnæ incendiis de anno MDCLXIX. jacturam subiisset, in agro *Medio campo* ædificari de novo cœpit; locus hinc *Terranova* & *Phœnicia Moncadæ*, quod veluti *Phœnix* ex incendio resurgeret, nomen indeptus, quum insalubris aeris ab incolis haberetur, desertus, quamvis in Regia via occurreret, & integris pene ædificiis relictus est. Recens igitur a veteri haud procul opido, quod *Malpassus* audiebat, vocabulo etiam mutato *Belpassus* nuncupari ab anno MDCXCV. cœpit, & situ aptiori leviter declivi in austrum moliri certatim, ac brevi visum est notabiliter augeri, adeout ante IV. ab origine lustrum, anno MDCCXIII. focos 779. incolas 3426. numeraret, & novissimè 5209. horum census inveniretur. Princeps ejus Ecclesia sub Immaculatæ Conceptionis Deiparæ titulo, magnificè extructa, medio pene assurgit opido, cum ampla area a fronte, ac Canonico instruitur Collegio, cujus tres sunt Dignitates, Alumni XII. Mansionarii IV. His animarum incumbit cura, designandique minores Sacerdotes in S. Salvatoris, & S. Antonii ædibus, ubi opidanis Divina etiam conferuntur, potestas committitur. Singularis Patronæ S. Luciæ Virgins & Mar-

Martyris Syracusanæ sollemne festum cum nundinis celebratur, ejusque est in majori sacra æde decens sacellum. Quatuor aliæ filiales ad incolarum fovendam pietatem spectantur Ecclesiæ; atque ab anno MDCC.... Minorum de Reformatione sub *S.* Antonii Patavini auspiciis conditum videtur Cœnobium.

Ad CL. circiter pass. Vicus *Borellus*, seu *Stella Aragona*, a clarissima gente Montis Alti Ducum vocabulum habens, sedet, qui vetusto de *Guardiis* casali subrogatus, *S.* Mariæ cognominis Ecclesia parochiali gaudet. Præest *Belpassi*, & Borelli Clero idem Catanensis Episcopi Vicarius; Dynastæ partes Magistratus quoque in utroque gerit, unumque opidum computatur in Comarchia Catanensi, & *S.* Philippi de Agyrio Militari Præfectura. Ager amplissimus circa meridiem, latè, ac longè extenditur, frugum supra modum ferax, ac vineis circa aquilonares plagas sub *Ætnæ* consitus omnia incolis ad vitæ commodum suppeditat.

BELVEDERE recens opidum circa orientales Ætnæ radices, *Pesmontis* alio nomine, de quo inferius.

BIANCA-VILLA aliter *Græci*, & *Alba-Villa*, quam supra descripsi. Majus templum Collegio Canonico ab an: MDCCXLII. decoratur; ex Petri Galletti Episcopi institutione, & Romani subinde Pontificis confirmatione. Collegium Mariæ pro sequiori sexu nuper institutum incrementa quotidie suscipit.

BIDIUM Castellum. *Stephani Epitomator*, inquit Cluverius lib. 2. cap. 6. *post Bidum subdit: Est & aliud in Tauromenitano agro Castellum Bidius*. Quo situ fuerit incertum est; nulla enim ejus apud veteres alia extat memoria. De Mascali cogitat idem author, ubi Ego Callipolim stetisse alibi conjecto. *Nec ulla veteris alicujus loci*, subdit ille, *reperiuntur hodie in Tau-*

Tauromenitano agro vestigia. Sed fallitur; passim quippe complura occurrunt. Cęterò Mola supra Tauromenium vetusta a Fazello dicta, & situ inexpugnabilis, forte *Bidium* fuit

BIMARIS Mons, vulgo *Dinamaris*, Antiquis *Saturnius*, supra Messanensem oram, ita appellatus, quod utrumque mare Tyrrhenum scilicet, & Jonium ex ejus suprema specula conspicuum habeatur, juxta nonnullos. Aliorum vero sententia *Dinamaris*, seu mons Damarum dictus, quia Damis ejus prærupta, ac nemorosa loca abundant. Diodoro cęterum & Polybio Chalcidicus appellatur, & Fazello Dimmaris. Quod ad Peloridem spectet Brietius tradit; verum Neptunius noster in austrum vergit, Pelorus ad septentriones, occasumque caput extollit. Fluenta aliunde, utrumque disterminant, & si consociari videantur. Ubi veterum Specula ædem B. Virgini sacram incolæ condiderunt, quæ adhuc perstat, ac præcipua religione colitur.

BOLUM Casale olim Messanensis Pontificis, cujus hodie in rupis vertice Arx durat, contra Brontem sub Ætna ad æstivum occasum.

BONACCURSUM Opidum in Ætnæ radicibus circa ortum hibernum, a gente cognomine appellatum. Constat vicis de *Paulotis*, & *Leoniis*, altero de *Batteatis*, tertio de *Bonaccursis*, a quo postremo, inter illos circa XVI. sæculi medium extructo, nomen opidum invenit. Apud *Paulotos* S. Stephani Ecclesia diu viguit; penes *Batteatos S*. Luciæ sacra ædes dudum fuit, in qua Sacramentis administrandis Sacerdos operam navabat. Ubi vero communi incolarum voto decentior sub *S*. Mariæ de Directione titulo, ejusdem sęculi anno LXXXVIII. fuit excitata, jura parochialia illi deferuntur, & Prothomartyr Stephanus, uti præcipuus

tutelaris coli cępit. Altera inferior est Deiparæ de Consolatione nomine, singulari observantia etiam habita cum sodalitio, Ecclesia; nec procul inter Ætnenses rupes *S.* Mariæ de Lavina frequens est, ob impensa mortalibus beneficia. Subest opidum Campifloridi Principibus, conflaturque laribus 208. civibus 1011. Regimen animarum Catanensis Episcopi vices gerens, subit; Civile vero delecti per dynastam administri. Acis Comarchia clauditur, ejusque municipiis accensebatur. Juris olim fuit nobilis Januensis gentis *Dianæ* cum aliis Acis casalibus, & Marchionatus titulo auctum, MDCLII. quo gaudet hodie *Josephus Nicolaus Diana* Cephalę Dux.

BONALBERGUM Arx a Nicosia VI. pass. M. discedens; juris olim sub Martino Rege *Salimbenii de Marchisio*. Memoratur Fazello.

BONVICINUM Arx inter Isnellum, & Colesanum, circa aquilonare Siciliæ latus. De ea Aretius: *Bonvicinus nostra propemodum tempestate erectum opidum.* Id hodie desertum; Arx vero integra perseverat, quam Monalis fluvius perlambit.

BORDONARUM Casale, seu Municipium ad Messanam spectans, ab australi plaga, fretus littori II. circiter pass. M. spatio adhærens. Parochiale illius templum S. Mariæ de Gratiis sacrum; lares 240. incolæ 800. circiter hodie, qui ante luem supra M. computabantur. Prope est Deiparæ Cœnobium, Basiliano sub instituto, a Presbytero Scholari, olim loci Domino & Rogerio de Secreto, atque Ula Graffea ejus uxore conditum. *Patet*, de eo Pirrus ait, *in amœnissima planitie, celebris, atque inundantis undique fluminis, vulgo Fiumara Bordonarii*, commendatque veterem B. Mariæ Virginis imaginem ab ipsis fundatoribus Monachis

nachis dono datam, affabre expressam. *Bordonaro* impendit in edito colle situm Basiliense aliud Monasterium *S. Pantaleonis* iisdem Secreto & Ula authoribus. Utriusque olim primus Rector Sabba fuit; Commendantur hodie, sedentque in Comitiis illorum Abbates S. Mariæ loco XXXVI. S. Pantaleonis XXIV. Ab eo fluentum nomen mutuatur, quod pluvio tempore difficile ad tranandum evadit.

BORELLUS olim Opidulum, Vicus hodie *Belpassi*, de quo actum.

BOVES MARINI In Nasi opidi littore sub Orlando promontorio scopuli sunt contra *S.* Georgii stationem.

BOZZETTA Suburbium Messanense ad passus circiter C. extensum in aquilonem, ubi Fluentum.

BRACHIUM *S.* Raynerii, curvum est littus, celeberrimum Messanæ portum ambiens, immotumque reddens, pass. M. in gyrum patens. Ad ejus olim apicem ædicula erat sub *S.* Nicolai auspiciis; hinc *Lingua S. Nicolai* appellabatur, & *Lingua Phari*; Turris enim specula in ejusdem *Brachii* extrema ora magnificentissime assurgens, Pharum ad navigantium commodum continet, vulgo *Lanternam*. Insula quoque *S.* Hyacinthi, & *S.* Placidi dicitur juxta *S*amperium; promontorium denique Argennum ex Maurolyco & Alberti, qui certè hallucinantur, uti ex superioribus constat. Ubi porro *S.* Nicolai Ecclesia, Rogerius *S.* Basilii ædificavit cœnobium sub invocatione Salvatoris, quod in augustiorem formam Rogerius Rex Comitis filius redegit, uti ejus diplomate constat MCXXXIII. Fuit id cœnobium fulminis ictu percussum MDL. Carolus hinc Cæsar, ad ejusdem portus & regni tuitionem, Arcem ibi magnificam, propugnaculis circumseptam

egregio opere condendam jussit; Monachis intra mœnia primum, mox in plaga portus orientali ad primum lapidem, insigni Monasterio extructo, collocatis. Non omiserim apud Geographos nonnullos pro *S. Raynerii Brachio*, id totum comprehendi, quod a Peloro promontorio, ubi altera est Turris Phari, ad Malpuriti fluminis ostia continetur, quę in aquilonari littore aperiuntur. Verum his vulgare Siculum effatum adversatur; quum enim aliquid difficile, aut impossibile intentamus, id nempe idem esse dicimus, ac *Sancti Raynerii Brachium* dirigere. Pro *Brachio* idcirco curvum littus venire, satis abunde constat.

BRIGA Casale, & ejusdem nominis fluentum; Abest a littore ad DC. pass. in austrum, ab urbe Messana, cujus est municipium, ferme VII. M. Parochia *S.* Georgium Martyrem habet Tutelarem. Lares 108. numerantur, incolæ 360. quorum est præcipuus Patronus S. Joseph, S. Stephani de *Briga* Duces hodie Spuchii audiunt, de quibus infra.

BRITIUM Opidulum ditionis Pactensis ad meridiem. Vide *Librizzis*.

BROLUS Arx maritima, Rogerii ævo *Voab* appellata, in septentrionali littore, inter promontoria *Calavæ*, & *Orlandi*, sed huic proprior. Sedet in tumulo ad fauces fluminis ejusdem vocabuli, veteribus *Tymethi*, & maris fluctibus tunditur; amplitudine spectabilis, in altum se subrigit, bellicisque instructa majoribus tormentis, subjectam oram tutissimam reddit. Authores vetustos Siculos primates habuit, quos inter *Bartholomæus de Aragonia* sub Friderico III. recensetur, sed instaurarunt dynastæ de *Lancea*. Gens hæc sub Suevis, Regibus adjuncta effulsit; Blanca enim *Lancea* Friderici Cæsaris Siciliæ Regis uxor fuit. Ejus hinc

hinc frater *Fridericus Lancea* in historiis celebratur. Martino Regni habenas tenente *Pirruchius Lancea Broli* dominus erat; quamvis enim Rex idem MCCCXCII. Aragoniis proceribus, quod Lanceæ ab eo defecissent, *Broli* castrum concesserit; brevi tamen *Pirruchio*, ejusque filio *Conrado* in gratiam receptis, bona restituit, eumdemque *Corradum* Caput Gentis de *Lancea* in suis literis de anno MCCCCI. appellavit. Ex *Corrado Pirruchius* II. cui *Valor* successit. *Valorem* anno MCCCCLXXXVI. *Guillelmus* & *Blascus*. Sed illo sine prole decedente, alter sæculo XVI. ineunte fuit *Broli* dominus. Hunc excepit *Hieronymus*, unde *Blaschus* MDLXIV. qui *Hieronymum* II. habuit hæredem. Ex eo *Ferdinandus*; hinc ejus filius *Franciscus*. Anno MDCXXV. *Fabritius Broli* Baro; cujus filius *Joseph* Ducatus insignia a Carolo II. MDCLXXXVI. exoravit. *Hieronymus* ex eo & Felicia Alexandro ortus, Dux & ipse *Broli* hodie audit; sed Arcem, adnexum agrum, & Ficarrę dynastiam *Ignatio Vincentio Abbati*, Longarini Marchioni, qui pretium exsolvit, paucis ab hinc concessit. Hic crevisse circa *Broli* arcem colonos advertens, Ecclesiam *S.* Hieronymo dicatam in Parochiam ab Archiepiscopo Messanensi erigendam curavit. Festus hinc dies, & celebres nundinæ habentur. *Broli* lares ad hanc ætatem una cum Ficarra computati 381. opidani 1967. *Jonnellus* vicus spectat ad *Brolum*.

BRONTES Opidum locuples hodie & frequens, Ætnæ montis radices, seu latera in aquilonem, & caurum occupans, nomen ab uno ex Vulcani Cyclopibus, antiquis poetis sat notis, traxit. In Maniacensis Cœnobii agro, & solo leviter declivi in occasum, sedent hodie incolæ, qui ante Cæsaris Caroli V. ævum vicatim habitabant, convenientesque in unum, Maniacensi

censi Abbati obnoxii diu vixere; Quum autem Abbatia illa Ferdinandi II. Regis jussu, Innocentio Rom. Pontif. approbante, Panormitano Valetudinario Maximo cessisset, ejusdem Rectoribus *Brontenses* se subdiderunt; Jus autem gladii ad Regios administros spectabat, uti & hodie, hisque pleno jure submitti opidani contendunt, ac Demanialibus Civitatibus accenseri. Princeps templum SS. Trinitati sacrum, in quo sub Archipresbytero Sacerdotes XXIV. cum Clericis Divino servitio intendunt. Surgit circa pomęrii terminum ad Africum satis elegans, & conspicuum, eique septem aliæ minores Ecclesiæ suffragantur. Monasterium Ordinis S. Basilii, e Maniacensi Casali, de quo inferius, ad S. Blandani ędem translatum intra opidum in aquilonem; Minoritani de Observantia, sub S. Viti Mar. titulo ad australem oram coalescunt; Capuccinorum vero extra spectatur cœnobium ab an: MDCXXVII. constructum. Domus pręterea S. Philippi Nerii; Monialium sub S. Scolasticæ invocatione, & S. Benedicti Regula Claustrum; Nosocomium denique ad pauperum, & peregrinorum levamen, opidum exornant; quibus etiam civiles non contemnendæ ædes, stratę vię spatiosę, cum foris abunde refertis accedunt.

Brontis Lares Fazelli ævo 709. numerabantur, incolæ 2815. Sed elapsi sæculi anno LII. foci ad 1834. opidani ad 6151. excrevere: In censu de anno MDCCXIII. lares 1924. incolæ 6936. descripti, & novissimè 7949. quorum est præcipuus Patronus S. Blasius Episcopus. Aquilam in tessera ostentat; Siciliæ insigne, intra cujus pectus rursus aquila sine corona. Jus in eo uti Hierarchia spiritualis dicit Archiepiscopus Montegalensis, cui Monasterium Maniacense subdebatur. Comarchiæ Randatiensis pars est; Agro utitur, vineis,

oleis,

oleis, moris, pomiferisque arboribus divite, aquis non indigo, pascuis referto, ac ovium caulis idcirco undique frequenti, qui suis omnia sufficit, exterisque lanas, confectosque ex ea pannos præbet, uti pręcipuos, in regione habitos. Illustres Viri: Vincentius Ortalis Sacerdos omnium virtutum genere excultissimus, Panormitanæ Ecclesiæ Canonicus, Solitudinis amore, nonnullis ante obitum annis, ut quietius perfectionis Christianæ institutis vacaret, in Carmelitarum S. Teresiæ Cœnobium extra mœnia secessit, ac clericali veste retenta, vitæ inculpatæ legibus majori contentione inhæsit. Ibi pluries Beatæ Virginis alloquio in Ecclesia, dum orationi impensius vacaret, dignatus, uti tradunt, sanctè demum mortale exuit MDCLXXIII. Paulus Ortalis. Laudat hunc Mongitore a Legali scientia, & ameṇioribus literis, ac in pręcipuis Siciliç Academiis adscriptum evulgat, de Geneologia demum præclaræ Dentis familiæ Notitiam edidisse tradit. Habuit filium Carolum Ortalem Jurisconsultissimum & Philologum egregium, qui cultum ingenii eximii in selecta Bibliotheca, quam sibi paravit, indefesso labore ad plures annos fecit. Ejus opera in unum collectas habemus Legales dissertationes cum de Feudis, tum de aliis controversiis, ab præcipuis Caussarum Patronis Siculis habitas, sparsim dudum editas. Thomas Schiros Clericus Regularis, Orator disertissimus, ac Theologus sanæ, ac profundæ Doctrinæ, quo ad mores, nemini nostra ætate secundus, adeout veluti oraculum ab omnibus consuleretur; Viris Principibus acceptus, quorum, ut favorem declinaret, diu in Acis Civitate vixit; ubi sacram, S. Joannis Nepomuceni Domum instituit. Mortem lętus expectavit annis & meritis refertus MDCCLIX. Est Brontis latitudo grad. XXXVII. XLV. longitudo grad. XXXVIII. XXV.

CA-



CALA S. PAULI, seu Statio in Messanensi australi littore post Scalettam, quo S. Apostolum e Syracusis Rhegium navigantem, aut alio fortasse tempore, excendisse tradunt, in cujus rei memoriam pii fideles sacram ædiculam condiderunt, juris hodie Monasterii S. Placidi, quod in superiori colle ædificatum undique sese spectandum præbet.

CALACTA Urbs vetus, de qua fuse Cluverius lib. 2. *Ultra Alæsam fuit opidum, quod a loco, in quo situm, Kalacte idest Pulchrum littus Græcis dicebatur. Romanis usurpatum fuit Calacta. Meminere ejus Herodotus, Cicero, Diodorus, Ptolemæus, Atheneus, Itineraria Romana, & Strabo*; quorum nonnulli *Calatam* appellant, & *Galatam*. Idcirco Plinius *Galatinos* memorat Populos in Sicilia. Situm ejus sic recenset Ptolemæus: *Alæsa, Calactæ, Chydæ amnis ostium, Aluntium, Agathirnum*; Tabula Itinerum: *Cephalœdo Halæsa* XVIII. *Calacta* XII. Fazellus autem: *A Cephalœdi ad Thusam arcem mill*: XVII. *a Thusa ad Alæsam nunc Caroniam* XII. Subdit Cluverius: *Ex hisce intervallis Caronia erit ipsa Calacta, quam per ingentem errorem Fazellus ad id collocat opidum, quod* XXX. *pass.* M. *ultra Caroniam situm, vulgo vocatur S. Marcus*. De Caronia loquens aliunde idem Fazellus ad cognominis fluvii ostium, fragmenta, ac veteres ruinas pro maxima parte obrutas, ad ædem Annunciatæ, in publicis agris, ac vineis ad pass. fere duo M. ubicumque effoditur, passim occurrere tradit. *Hę certè ruinæ*, prosequitur Cluverius; *sunt Calactæ, quam Tabulæ*

Tabulæ xxx. m. *pass. a Cephalædio dissitam collocant. Sed & ipsa Caroniensis littoris excellens amœnitas & pulchritudo, quam diligentissimo oculo per totum hoc littus quæsivi, Calactam hoc situ fuisse apertè clamat.* Subdit Strabonis textum, quem emendat, uti & Antonini Itinerarium; indeque ad *Calactæ* originem descendens illud Herodoti lib. 6. refert: *Per hoc idem tempus Zanclæi in Sicilia misere in Joniam, qui Jones adcondendam in Pulchro Littore urbem solicitarent. Est autem Pulchrum Littus Siculorum in ea Siciliæ parte, quæ in Tyrrheniam vergit.* Quum autem Jones ab Anaxila Rhegii Tyranno, Zanclæorum hoste persuasi, ut Pulchrum littus, quo navigabant, valere sinerent, ac Messanam tunc civibus vacuam, occuparent, facile accquievissent, tunc quidem dilatus *Calactæ* conditus fuit. Verum post xl. circiter annum, qui fuit Olympiadis lxxxiii. tertius, Ducetius Siculorum Dux in Historiis sat celebris, Corintho aufugiens, ubi Timoleontis jussu privatam agebat vitam, *oraculo se jussum fingens*, uti Diodorus enarrat, *ut in Sicilia Calam Acten, idest Pulchrum littus incolis frequentaret, cum magna hominum sedes quærentium turba in insulam transmisit. Adjunxerunt se etiam Siculorum nonnulli, ac inter hos Archonides Herbitensium Princeps.* Et paullo post: Olym. lxxxv. *In Sicilia tunc Ducetius, qui urbium Sicularum Dux fuerat, Calactinorum patriam condidit, & magna colonorum frequentia illuc deducta, imperium Siculorum sibi vindicare cœpit. Verum morbo præventus, vita simul & conatis excidit.* Hęc de Origine habent veteres.

Memoratur porro Athenæo Cæcilius Rhetor a *Calacta*, seu Pulchro Littore; Tullius, qui Amystratum & *Calactam* vicina opida esse Verr. 3. innuit. Eupu-

lemum *Calactinum* celebrat. Demetrii Historici vetustissimi meminit Dionysius Halicarnass. Laertius hinc in Vita Demetrii Phalarei, multos adducens ejusdem nominis, sexto loco nostrum Siculum collocans, scripsisse testatur *De Asia & Europa libros* xx. Thales *Calactianus* Orator clarissimus, eidem Laertio, Lascari, & Goltzio laudatur. De *Successionibus Philosophorum* & *Sectis Sapientum* scripsit, & Homerum illustravit. Silenum denique Calactinum idem Athenæus lib. 12. vocat. Fuit historicus non vulgaris, ediditque *Res Romanas* ex Livio, *Res Siculas* ex eodem Athenæo, & Laertio, de *Ætna*, de *Aphrodisiade Insula*; *Glossas*, & *Historias Fabulosas*. Hæc enim opera tribuuntur Sileno a Stephano, Plinio, Tzetze, aliisque. Refert Paruta Calactæ numismata duo; alterum in antica facie Juvenis caput habens, quod perperam Ducetii vultus, aut Arconidis referre Majer opinatur, uterque enim ex his Ducibus Calactę fundatoribus devectę jam ętatis erant, uti ex illorum rebus gestis eruitur. In postica Noctua super vas, Palladis insigne spectatur; cum epigrapha ΚΑΛΑΚΤΙΝΩΝ. Secundum vero Bacchi caput cum hederacea corona, & vuæ botrum repræsentat, cum eadem inscriptione.

Putat Cluverius *Calatam* diversam forte fuisse a *Calacta*, & hanc Maritimam, illam verò Mediterraneam, cujus populos *Galatinos* inter mediterraneos Plinius recensent. Nonnulli ad pass. circiter VIII. M. ob Tuscorum & Cumanorum incursiones, tractu temporis ab ora aquilonari *Calactinos* recessisse credunt, ubi novum opidum *Galatiam* appellarunt. Quo ęvo cęterum *Calacta* interierit, incertum. Ciceronis ætate extabat & non incelebris. Paulus Diaconus a Sarracenis ruinis effectam dicit.

CA-

CALANNA Mons contra Alcaram, ob S. Nicolai Eremitæ incolatum celebris. In Actis ejusdem Sancti *Calapnis* appellatur, uti Massa adnotavit. Vide *Alcara*.

CALANNA Collis in Ætnæ latere circa ortivam & australem plagam supra Mascalas, ad cujus radices vallis est ejusdem nominis, ibique fons aquæ dulcissimæ emanat.

CALATABIANUM Opidum cum Arce originis Sarracenicæ, uti ipsum nomen ostendit, quod Punico ore *Kalghata Bian*, Erectus scilicet locus, *Biani* fundatoris vocabulum referens, significat. Ad Ætnę radices orientales in colle sedebat, non longe a Tauromenio, supra Naxum; hodie vero in ejusdem collis latere meridiem & ortum respiciente, prope Onobalæ fluminis ripas, quod ab ipso etiam *Calatabiano* nuncupatur, situm, media angusta convalle discernitur, incolarum etiam ędibus occupata. In collis vertice, ubi veteres perstant adhuc reliquiæ, Arx surgit propugnaculis prætentis instructa, quæ ad opidum usque, uti ad eam tutus esset ascensus protendebantur. Majus templum Deiparæ Annunciatæ, & præcipuo opidi Patrono *S.* Georgio Martyri dicatum in altero tumulo sub arce, Archipresbytero curante, unicum est parochiale, paucis ab hinc nobilius refectum, cui aliæ sex minores Ecclesiæ subsunt. Messanensis Archiepiscopus per suum Vicarium clero, Palagoniæ Princeps, Gravinæ stirpis, civibus jura dat, quorum est numerus 800. in laribus 250. olim computatus, sed ad 1360. hodie censentur, & Linguæ Grossæ Comarchia clauduntur. Ager segetibus aptus, uberrimè tamen vites, oleas, moros, ac non levem ordei copiam suppeditat, oleribus denique, ac leguminibus abundat.

De Dynaftis hæc habeo: *Paganus* & *Gualterius de Parisio* Avellani Comites in Calabria *Calatabiani* Caftrum fub Rogerio Rege MCXXXV. tenuere, ob quorum defcitionem Conftantia Imperatrix & Regina *Arnaldo de Regio* MCCXIII. attribuit. Fridericus vero Conftantiæ filius *Gualterio de Palearis* Cancellario fuo, & Catanenfi Pontifici conceffit. Hinc folutis ab eodem Epifcopo Arnaldo Comiti, vetufto opidi domino xv. tarenorum M. ne caftrum repeteret, *Gualterius* ratham quoque Donationem obtinuit, quam fuis literis Gregorius Theodorus Cardinalis & Summi Pontificis Legatus fub die XIV. Martii Meffanæ firmam voluit. Tunc fub tentorio, ex arborum ramis compacto, uti Tabulæ Catanenfes loquuntur, ad fluminis oram, opidi & Caftri poffeffionem Ecclefiæ nomine iniit. Quum vero *Siculæ* Ecclefiæ fub eodem Friderico Cæfare peffum irent, *Gualterii* fucceffores Caftrum amifere; Sed Rodulphus S. R. C. Cardin. Epif. Albanenfis, Sedifque Apoft. Legatus, Caroli Andegavenfis tunc Siciliam adminiftrantis voluntate, anno MCCLXVI. Sententiam dixit, qua Ecclefiam Catanenfem, Othonemque Capicium illius Antiftitem in Calatabiani, aliorum opidorum ac jurium poffeffionem immifit. Perftitit itaque fub ejufdem Ecclefiæ fafcibus ad annum MCCC..... quo fane tempore in laicalem poteftatem, ex conceffione devenit, & *Rogerio Lauriæ* Architalaffo Siculo & Aragonenfi paruit. Ex eo ad *Margaritam* filiam. Quum vero *Lauria* ab officiis deceffiffet, *Brancaleonis Aurea* Januenfis, *Calatabiani* dominium fubiit una cum Rahalmuto, uti in Friderici II. Cenfu legitur.

Poft *Aureas Henricus Rubeus*; hinc *Manfredus Claromontanus*, cujus filia *Conftantia* cum *Calatabiani*

ni dote *Antonio Carrello* nuptui data est. Hic primus ex hac nobili gente ab Hispania in Siciliam venerat. Anno MCCCXCIII. *Guerao de Queralta* dedit Martinus Rex; At non diu, post biennium nempe, *Bartholomeus Aragonius* in Castri possessionem venit, unde ad *Bartholomæum* de Cruyllas translatum, qui filio *Joanni* legavit, hicque defacto in ejusdem Martini Regis Censu MCCCCVIII. memoratur. Ex Cruyllis loco pignoris *Marulli* Messanenses sub Joanne Rege habuere ad MDXLVII. Subindeque *Henricus*, *&* *Joannes Romani Columnii*, & hujus filius tenuerunt. Sub sęculi XVI. exitum Castrum sibi *Gravinenses* soluto pretio vindicantes redemerunt. Ex Diana enim Cruylla & Ferdinando Moncada Contissella progenita, *Hieronymi Gravinæ* uxor extitit, eique Francumfontem, & in *Calatabianum* jus detulit. Ex quo Palagoniæ Princeps nostri opidi hodie Barones in publico Regni consilio loco III. assidentes. De *Calatabiano* flumine consule: *Onobola*. Ejus est latitudo grad. XXXVII. XLV. longitudo grad. XXXIX.

CALATABIET Sarracenicum Opidum. Vide *Casale Vetus*,

CALAVA Promontorium ad aquilonare insulæ latus sub Jojusa opido, & S. Georgii æde; Nautis formidabile, ad XXXVIII. longitudinis gradum. Turris ibi in supremo vertice speculæ usum habens, & criptę profundę ad radices, quas maris undæ abluunt, sereno tempore iter habentibus statio. Sinus Pactensis, sive Oliveris occiduum est Caput, ac medium procurrit inter Mylense, & Orlandum.

CALCUSA Ecclesiæ Cephalædensis Casale, cujus fit mentio in Alexandri III. Rom. Pon. diplomate, quo bona illius MCLXXI. recensentur. Jacet hodie, sed ager cognominis perseverat. CA-

CALEACTE. *Calacta* urbs vetus, de qua actum.

CALIATUS Collis in Ætnensi ortivo latere, confinis Catanensi nemori, & Cerritæ supra Mascalas.

CALLIPOLIS Urbs vetustissima; utpote una ex Chalcidensium Coloniis, de quibus Marcianus Heracleensis, seu Scimnus Chiensis canit: *Post hæc a Naxo Leontini, & quæ ex adverso Rhegii ad Fretum Siculum sita est Zancla, item Catana, & Callipolis accepere colonias*. Stephani Epitomator:. *Callipolis*, scribit, *urbs Siciliæ, opidani inde Callipolitæ*. Sed latinè, subdit Cluverius *Callipolitani*: Hippocratis tempore Gelæ Tyranni florebat, ait enim de eo Herodotus lib. 7. *Hippocrates obsedit Callipolitanos, & Naxios, Zancleosque, & Leontinos, pugnavitque cum Syracusanis & Barbarorum permultis, in quibus bellis Gelo extitit vir præstantissimus*: Gelo hic postea Syracusarum Rex. Ex quibus Herodoti verbis Cluverius adstruit *Callipolim* in orientali insulæ latere fuisse. Ex Silio denique lib. 14. Bello Punico II. Callipolim perdurasse cognoscimus;

Romanos Petræ Duces, Romana petivit
Fœdera Callipolis

Strabonis ævo excisa cum aliis jacebat: *Non enim hodie*, scribit ille lib. 6. *comperimus a civibus incoli Himeram, non Gelam, non Callipolim*. De situ controvertunt Historici. De Mascali enim loquens laudatus mox Cluverius, ubi Fazellus Ætnam perperam locavit, & ipse author de Bidio cogitavit, subjungit: *Callipolim hic olim fuisse, non negaverim*. Fazellus in meridionali latere nullo ductus argumento statuit; Sed cum de Mascali scribat Dec: I. lib. 3. cap. I. ibi urbis veteris jacentis plura circum arcem hodie monumenta perstare, Cluverii conjecturas non improbaverim.

CAL-

CALCURACIUM Flumen in agro Maniacensi oritur haud procul a Bronte; Troynensi admiscetur, & in Symethum influit.

CALVARUSUS Opidulum in Messanensi ad occidentem æstivum ditione, quam vulgo *Districtum Aquilonarem* appellant, humilis collis occupat latera, focisque 158. incolis hodie 600. circiter constat. & si elapsi sæculi medio lares 188. animas 711. numerasset. Subest *Montecatinis* Messanensibus, qui ex Monfortis Dynastis ortum ducunt; Jus autem Spirituale in eo exercet Archipresbyter Rametensis, de cujus Parochia est. Princeps Ecclesia *S*: Margarithæ Vir: & Mart: sacra, cui tres aliæ suffragantur. Minorum de Reformatione cœnobium in amęnissimo sedet tumulo; quorum custodiæ Christi Domini spinis coronati religiosissima imago commissa, ad quam cultu præcipuo venerandam ex opidis nedum vicinis, sed remotis etiam pii fideles conveniunt. Dynastæ domus circa fluminis alveum elegans, & decentissima. Ager frutetis, oleis, vitibus, & moris affluentissime refertus. Est denique in Castri Regalis comarchia, & Pactensi Militari Præfectura subdebatur. Longitudo grad. xxxix. x. latitudo vero xxxviii. x. attingit.

In Regiis libris *Calvarusus* veluti Ramettensis agri pars computatur, ejus idcirco fundatio ad Rametttæ colonos pertinere videtur. Concessit Fridericus Rex *Perrono Joenio*, cujus nepos *Perronus* minor *Joanni Taranto* M. R. C. Judici an: mcccxcvii. vendidit. Ab *Joannis* filio *Nicolaus Castagna* Regni Pręses excepit, qui bona alia *Taranto* attribuit; in censu hinc Martini Regis mcccviii. Idem *Nicolaus* Montisfortis, Saponaræ, Roccæ, Bavosæ, *Calvarusi*, Rappani, Maurojanni, & *S*. Petri dominus dicitur. *Pina Nicolai*

ex

ex sorore Nepos huic successit, Roderico Vigintimillio nupta; unde *Eulalia*, quę Philiberti Polichini uxor evasit. *Gaspar* horum filius *Agnetem* unicam habuit, quam *Fridericus Moncata* conjugem duxit, ac Monfortis, & *Calvarusi* dominus evasit. Ex eo Joseph, & *Cæsar*, quorum ille Monfortem, hic *Calvarusum* habuit, & Principis tesseram Philippi IV. privilegio MDCXXVIII. meruit. Improles verò quum fuisset, *Jacobum* Francisci fratris filium vocavit; unde *Guillelmus* I. ex quo & Francisca Marino *Jacobus* II. Hispanarum peditum primùm Tribunus; & ad supremas dehinc præfecturas in Militia elatus, Amaliæ Siciliæ Reginæ Major Domus & S. Januarii Eques. Hunc *Guillelmus* excepit, qui ex Anna Rocca natus a Regis cubiculo, ejusdemque S. Januarii Ordinis tessera insignitus effulget; Uxorem habet Hieronymam de Joanne, & Pagano. Unde Vincentius prodiit Flaviæ Ardoinæ conjux. Vivunt. Gaudent *Calvarusi* Principes IX. & XX. in Regni Comitiis loco. Thomas *Jacobi* filius Patriæ Archiepiscopus hodie, morum comitate, prudentia, & zelo se commendat, cujus est frater Petrus, Montecatini, seu Castellialbi Princeps, a Regiis Rationibus Magister.

CALVARUSUS Fluvius ex collibus circa Rametam, & opidum cognomine ortum ducit, in cujus agro præfluit; ac in Tyrrhenum mare inter Raysculmum, & Mylas dilabitur.

CAMASENA. Ex vetustissimis Siciliæ urbibus hanc affirmant Carrera, Grossus, Grassi, Orlandinus, Fazellus, aliique; Quorum primi sub Ætna, ubi nunc Catana, olim sitam dicunt. Fazellus incertus de illius loco est. Orlandinus ad Drepanum, Grassi sub Aci in agro hodie *Gasena* circa Xiphonium promontorium stetisse tradit. Invegius omnino fabulosam evulgat.

evulgat. Vrbis authorem *Camesem* Jani fratrem & Regni socium faciunt, aut ipsum Camum Noe filium.

CAMMARIS Messanense Municipium, statim post Cieræ portam ad austrum, cum Parochia S. Jacobo sacra; ab Regia via recta, & ampla, quam *Dromum* appellant, haud procul supra S. Clementem. Inter portam, & Municipium *flumaria* de *Cammaris* sive alveus, cujus aquæ MDXLVII. in urbe deductæ sunt.

CAMPUS PIORUM. In Ætnæ montis latere terræ tractus est, quem ignis fluenta ingenti prodigio illæsum servarunt, uti Amphinomi & Anapiæ Catanensium fratrum in parentes pietatem perenni commendarent monumento. *Quum igneus rivus*, scribit Pausanias in Phocicis, *in urbem Catanam devolveretur, nulla vel auri, vel argenti habita ratione fugientes, matrem hic, patrem ille humeris substulerunt. Sed enim quum haud quaquam festinantes incendium urgeret, neque illi propterea parentes dimitterent, ita igneum torrentem in duas partes ajunt discessisse, ut per medios ignes adolescentes cum ipsis parentibus incolumes evaserint. Iis apud Catanenses ad meam usque ætatem honores habentur*. Statuam enim illis, templumque in eodem *Campo*, qui *Piorum* a fratrum pietate est dictus, erexere, & numos suos tam celebri facinore expressa cum eorum imaginibus cuderunt. Loci memoria periit, aut novis Ætnæ eruptionibus oppletus *Campus*, sui copiam hodie non facit.

CAMPUS ROTUNDUS Opidulum, ad Ætnæ australes radices supra Catanam, in occidentem æstivum, quod igne vastatum sub annum MDCLXIX. rursus eadem in ora haud procul instauratum hodie conspicitur. Paternionis Principi pars subdebatur; pars vero erat ex Municipiis Catanæ; sed MDCLIV. emit *Didacus*

Reitanus, qui Marchionatus tessera sequenti anno, Rege annuente, auctum voluit. Parochia *S.* Antonio Abbati dicata sub Catanensis Episcopi cura degit, qui suas vices Presbytero delegat. Olim enim illius Rector S. Mariæ de Eleemosyna Canonicus erat. Situs pene æqualis; Ager angustus, aquisque indigus, nutrit tamen vites, & pomiferas arbores, quarum fructus Ætnę cinis sapidissimos reddit. Census *Campi Rotundi* olim cum aliis municipiis indicabatur; Sed anno MDCCXIII. fuit larium 80. opidanorum 181. novissimè 457. Jacet in Catanensi Comarchia. Primus ejus Marchio laudatus *Didacus* recensetur, ex quo ad *Josepham Reitano* filiam anno MDCCVI. dynastia devenit; *Petrus* enim *Josephæ* frater, qui MDCLXVIII. inauguratus fuerat, mundo exemptus patrem prævenit. Ex *Josepha* porro, & Petro Natoli ejus marito *Franciscus* exortus, MDCCXXX. Marchionatum assequitur. Huic & Antoniæ Crisafi *Petrus* filius successit, qui prole carens mortem oppetiit, unde *Marius* ejus frater MDCCXLV. vivens hodie, Mariæ de Pactis sacris adstrictus vinculis, *Campi Rotundi* Marchio evasit.

CANISTRA Castri Regalis urbis Municipium ad ejus aquilonares oras III. pass. M. dissitum jacet. Ecclesia, ubi sacra incolæ percipiunt, S. Jobbo sacra, quę ad Casalis Landri, hodie infrequentis, fines pertingit, eosque comprehendit.

CANNATELLUS Fluentum in Caroniæ littore, Siciliæ aquilonari se exonerans, ortumque in proximis habens collibus.

CANTARA Fluvius, *Alcantara*, & *Calatabiani*, ita appellatus, quod ponte lapideo trahiicitur. Pons enim Sarracenis *Cantara*. Vide *Onobala*.

CANTARELLUS Vicus ad Acim S. Philippi spe-

ſpectans, cum Eccleſia, Parochiali ejuſdem S. Philippi ſubjecta.

CAPARRINA Collis intra Meſſanæ mœnia hodie, ex occidente contra Matagryphonis arcem aſſurgens, Deiparæ apparitione celebris, quæ ſuo nomini dicatam Eccleſiam in eo voluit, unde *S.* Mariæ de Alto dicitur, cui Monialium Cœnobium adhæſit ſub *S.* Bernardi regula ab anno MCCCLXXXIX. Eccleſię ędificium Conſtantiæ Reginæ attribuunt; Tabulam Virginis vultus ſuboſcuri coloris referentem, miraculo in Eccleſiam illatam tradunt. Videſis Placidi Samperii Iconologiæ lib. 3. cap. 14. qui ex ordine fundationis hiſtoriam promit.

CAPITIUM Opidum, vulgi voce *Capizzi*, juris *Gabrielis Lancellotti de Caſtello* Turriſmutiæ Principis, Civitatis *Aureæ* titulo, & Marchionatus hodie teſſera inſigne, olim Comitatus; Editi collis jugum in ortum auſtrumque occupat. Arx in ſupremo vertice vetuſtiſſima, ſed ruinoſa, quam Petrus Aragonius Rex hujus nominis II. aliquando ſuo incolatu nobilitavit. Regium hinc ſtemma cum vexillo ſtatis per annum diebus oſtentat. An *Capitina* porro fuerit, inferius patebit. Majus opidi templum ab arce haud procul, *S.* Nicolaum Myræ Epiſcopum tutelarem agnoſcit, quem opidani cum *S.* Jacobo Apoſt: patronum colunt. Hujus hinc eſt Eccleſia Parochialis etiam proprio Rectori ſubdita; reliquis minoribus ſacris ædibus numero ad VI. *S.* Nicolao ſuffragantibus, cujus Archipresbyter primas in civitate obtinet, & Canonici Collegii, nuper inſtituti Præpoſitus eſt deſignatus. Minores fratres Obſervantes ſub *S.* Mariæ de Jeſu nomine, cœnobium quoque ad oram opidi incolunt, quod olim Conventuales tenuiſſe tradunt. Monaſterium vero or-

dinis *S.* Benedicti sub Deiparæ Annunciatæ titulo decentissimum assurgit; Hospitalisque domus pro infirmis & peregrinis satis ampla *S.* Antonii Abbatis Ecclesiæ adhæret. Extra *S.* Mariæ de Plano Abbatia, & altera *S.* Benedicti spectantur, in quibus Monachi sub ejusdem S. Patriarchæ institutis vivebant, quas hodie *Joannes Castelli* Dynastæ frater administrat, earumque prima variis decoratur privilegiis. Illius namque Rector in Regni Comitiis XXXVI. loco sedet, iisdemque insignibus uti potest, quibus *S.* Joannis de Eremitis Panormi Abbates.

Sacris hisce, & civilibus quoque ędibus *Capitium* exornatum, pulcherrimum de se exhibet prospectum, cujus lares Fazelli ævo erant 879. incolæ verò MDXCV. numerati sunt 4503. Proximi elapsi sæculi anno LII. foci 990. cives 3435. Anno MDCCXIII. in laribus 830. cives 2622. & novissimè 3180. censentur. Magistratus, quem Regni Prothonotarius, uti Demanialis Civitatis, dudum designabat. Decuriones scilicet IV. Syndicus, & Præfectus in Criminosos, hodie Marchionis arbritrio constituitur. Archiepiscopus vero Messanensis suos administros ad Cleri custodiam deputat. Est opidi ager oletis, vineis, morisque consitus; Arboribus vero omnigena fructuum varietate onustis ita luxuriat, uti ad Æreos montes pertinere non injuria a Fazello credatur; lętis demum pascuis ad rem pecuariam locupletandam abundat. Insigne, ab immemorabili ævo, Caput virile cum scapulis, quod Prosoma appellant, ostentat. Clauditur in Comarchia Nicosiensi, & *S.* Philadelphi Militari Præfectura, equitem unum & pedites XLV. suppeditans. Demanialis diu viguit, ac ne Dynastis subderetur, semel & iterum a clientela sese redemit.

Sub

Sub Northmannis, qui a Sarracenorum manibus *Capitium* vindicarunt, an peculiari dynastæ fuerit obnoxium, me ignorare fateor. Suevis vero insulam moderantibus, *Conradum* Antiochiæ Principem, Friderici de Antiochia filium (fuit hic Friderico Cæsari Siciliç Regi ex Margaritha progenitus) *Capitii* Comitatum tenuisse invenio, qui de *Capitio* idcirco fuit dictus, & cum Conrado Capicio Neapolitano nobili equite, ac strenuo milite perperam confunditur a nostris Historicis, uti in meis ad Fazellum notis adverti; Idem anno MCCLXV. Albæ, Celani, & Abrutiorum dominus renunciatus, Siciliam pro Manfredo, & Corradino Regibus administravit; ductaque in conjugem Beatrice Galvani Lanceæ filia genuit *Fridericum*, Bartholomæum, & Franciscum. Hi duo postremi Panormitani fulsere Archiepiscopi. Ex *Friderico* ejusdem nominis prodiit filius, qui anno MCCCV. in *Capitii* Comitatu successit, ac Siciliæ preterea Cancellarius, Mistrettæ, Castri Maris, aliorumque opidorum dominus fuit. Ejus uxor nobilissima Margaritha de Consulo, seu Esculo *Petrum* & Joannam illi peperit. Hęc Francisco Gesualdo nupsit; Petrus in Censu Friderici II. *Capitii* Comes dicitur. Antiochiis de *Capitio* subinde ab eodem Friderico ad Andegavenses deficientibus, sub Rege Opidum remansit. Petrus vero II. Blasco Alagonæ mox illud attribuit. Sub Friderico III. *Franciscus Policius* Ceramis & *Capitii* Comes audit; at quum Claromontanis hic adhæsisset, bonis privatur, *Capitiumque* & Ceramis ejusdem Regis liberalitate MCCCLXI. *Bernardo Spatafora* cessere. Martino Regni potente, Sancius Rois de Lihori Amiratus tandem *Capitium* obtinuit, cum Gallano, Mistretta, & Regitano, quorum in censu de anno MCCCCVIII. dominus appellatur. Derat

derat

derat quidem Martinus Capitium *Hugoni de Ballo*, a cujus poteſtate Cives, ære ſoluto, uti ajunt, ſeſe redemerant, ac inter Regias urbes illam computaverat; ſed mutato conſilio Lihorio, ineunte ſæculo xv. conceſſerat. Lihorii hinc filius Alphonſo Rege tenebat; qui ſane Princeps, uti deinceps *Capitium* & Miſtretta nuſquam dynaſtis commendarentur, edixit. Lihorio enim utriuſque Opidi incolæ auri congruentem ſummam penderunt. Perſtitit ad annum MDCLXXXII. in *Demanio*; ſed illato in Regium ærarium pretio *Lancellottus Caſtellus Capitium* ſibi vindicavit, & Marchionis titulo donatus, jus aſſidendi in Comitiis loco XXXII. retinuit. *Lancellotti* ſucceſſores alibi de Gallano agentes dabimus.

Capitinam Civitatem inter perditas Decumanorum avaritia ſub Verre Tullius commemorat lib. II. A quibus tamen p rimū condita, aut qua fortuna tot ſęculis uſa fuerit, nuſquam adnotatum invenio. Conveniunt Scriptores *Capitium* illi ſucceſſiſſe, nomenque ſervaſſe; Ptolemæus enim *Capytium* adfert, quod a *Capitina* Ciceronis nihil differre adſtruunt. *Capitium* cœterò a forma collis, cui inſidet, appellatum nonnulli cenſent; Ejus enim vertex Caput repręſentat. Illius eſt latitudo grad:XXXVII. XLV. longitudo XXXVIII. V

CAPRIS Opidulum, S. Marci municipium, ab eo haud procul diſſitum; in latere nempe collis imponitur ad orientem & auſtrum, qui S. Marco hodie adhęret. Princeps Eccleſia Deiparæ in cœlum Aſſumptæ nomen refert, & S. Conſtantini Mart: patrocinio lętatur. Præeſt illi Sacerdos, cujus curæ ſex aliæ Eccleſiæ minores committuntur; ſed jura Parochialia ad Galatenſem Archipresbyterum ſpectant ſub Pontifice Meſſanenſi. Lares olim claudebat ſæculo XVI. ſub Carolo

rolo

rolo Cæsare 128. & incolas 478. Anno MDCLII. lares 190. opidanos 723. computatos exhibet Census; sed illi ad 113. incolæ ad 351. decrevere sæculi hujus anno XIII. Sunt tamen hodie 542. Capris Barones in Regni consilio locum L. obtinent, quorum hæc series: Anno MCCCXX. *Capris* & Myrti opidula juris erant *Vitalis de Aloysio.* Sub Ludovico Rege & ejus fratre *Gens Aragonia* cum S. Marco *Caprim* obtinebat, Myrtum & Frazanum. *Aragoniis* a Martino deficientibus, S. Marcus quidem Aboni Filingerio; *Capris* vero ac alia municipia *Lancellotto de Larcan* attributa leguntur. Subinde ad *Filingerios* devenere; Sed *Capris* sequenti sæculo variis dynastis loco pignoris cessit, *Balsamis*, neppe, *Brancifortiis*, & *Cardoniis*, ad quos anno MDCXX. etiam spectabat. At enim quum sibi Filingerii jus luendi reservassent, elapsi sæculi medio *Caprim* ad se revocarunt. Vide de illis *S. Marcus*.

CAPUT GROSSUM, *Drepanum* Plinio, quod sub Itala opido, una cum Leucopetra Italiæ promontorio Fretum Siculum ab austro terminat. *Argennum* Ptolemæi creditur Maurolyco, sed perperam, uti superius dictum. Drepanum porro, alii cum Argenno confundunt, & S. Alessii Caput esse adstruunt. Hyemis tempore maris undis tunditur; æstate subjectum littus liberum relinquit, ut sicco pede trahiici possit.

CAPUT MOLENDINORUM. Veteribus *Xiphonium*, Fazello *Caput Ætnæum*: sub Ætna enim in mare protenditur haud procul ab Aci in meridiem, & occasum ad Acis fluminis ostium. Vide *Xiphonium*.

CAPUT MARIAZZI & Turris specula in aquilonari insulæ plaga post Pitinei fluminis ostia.

CAPUT MYLARUM. Vide in Notitia ejusdem urbis *Chersonesus Mylarum*.

CAPUT MYRTORUM inter Rayſculmum & Pharum Meſſanenſem ad ortum, unde aquilonare Siciliæ latus initium ſumit.

CAPUT ORLANDI Erectus collis in Septentriones mari imminens, cum celebri arce ſupremo vertici impoſita, a Naſo opido ad paſſ. M. V. diſſitus, ejuſque ditionis. Sub eo ad ortum navium exigua ſtatio & hoſpitatoria taberna. Ecclesia in arce B. Virginis icunculam marmoream ſervat, prodigiis notę, a Nautis ingruente tempeſtate magna cum fiducia in auxilium accitæ; in cujus honorem feſtiva ſollemnitas X. Kal. Novebris ab circumquaque poſitis populis celebratur cum nundinis tota illa ora frequentiſſimis. Naſenſis Comitis in eadem arce eſt domicilium, atque ad arcendos piratarum incurſus tormenta bellica majora habentur. Nomen *Orlandi* ab uno ex Caroli Magni ducibus Arci appictum, & promontorio, affirmant, Goffredo Viterbienſi in Chronico cum primis authore; Fertur enim Carolum aliquando in Siciliam delatum arcem ibi conſtituiſſe, aut ab aliis jam ante extructæ vocabulum ab ſuo, bellica virtute claro commilitone, *Orlando* impoſuiſſe. De Agathyrno in alterius collis ad auſtrum plano vertice olim ſito jam dixi. Dynaſtas, quibus Arx commiſſa, alibi de Naſo loquens reponam. Eſt hodie *Joannis Sandoval*.

CAPUT RAYSCHELBIS inter Thuſæ littus & Cephalędium poſt Finalenſem ſtationem ab celebri ejuſdem nominis Sarraceno pirata nuncupatum.

CAPUT RAYSCULMUM in aquilonari littore poſt Pelorum; *Phalacrium* promontorium Ptolemæo.

CAPUT SCHISO' ſub Tauromenio, poſt Viridariorum littus, ac ſinum, quod Ætna mons ſuis olim eruptionibus ad hanc uſque oram excurrentibus produxit.

duxit.

duxit. In aquilonari ejus plaga ſtatio celebris, & hoſpitum diverſorium ſat commodum.

CAPUT SICCUM ad ortivam oram poſt Maſcalenſe littus, & Archurafim Turrim. Dicitur *Siccum* ab ætnæis molibus, unde compingitur. Haud procul eſt *S. Teclæ* ſtatio non incelebris.

CARBONIS Fluvius, naſcitur in collibus Cephalædio imminentibus, & in Tyrrhenum mare poſt eam urbem ſtatim ſeſe exonerat, qui a Fazello *Novi nominis* appellatur.

CARBONIS Opidulum, ſeu Caſale jacet, ſed Fazelli ævo adhuc ſuperſtes erat. *Poſt Brontem*, ait l. x. cap. I. *occidentem verſus ad paſſ.* M. V. *Carbonis eſt pagus*. Anno MCCCCXIII. juris erat *Bartholomæi de Joenio*; cenſebatur autem in Paternionis Ditione. In eo circa ſæculum XIV. B. Paganus Monachus ex S. Nicolai de Arenis cœnobio, vitam degit ſanctiſſimam, cujus exuviæ in Sacrario ejuſdem S. Nicolai aſſervantur.

CARBONIS Statio in Maſcalenſi littore poſt Naxum ad latus inſulæ orientale.

CARCACIS Opidulum, hodie Ducatus titulo, ad *Vincentium Paternionem Caſtellum* ſpectans circa dexteram Symethi ripam ſub Centuripe. Pons ad ejuſdem Symethi trajectum lapideum ab eo nomen habet; a quo haud procul fluvii ejuſdem aquę e rupe, ſpectaculo ingenti, ac jucundiſſimo in ſubjectum alveum præcipitantur. Viſu etiam dignum, antequam pons ipſe occurrat, veteris habitationis veſtigium, *Civita* vulgi vocabulo appellatum. Pagus porro decurrente hoc ſęculo incrementum habuit ejuſdem *Vincentii* opera, cujus unica Eccleſia Parochialis *S.* Nicolaum Epiſcopum tutelarem agnoſcit. Situs in ęquo campo, vię ad rectos angulos ſtratę. Numerat lares circiter C. inco-

lis 345. Ager feraciffimus eſt, & abunde irriguus, orizamque præcipuam gignit. Erat in ditione Randatienſi anno MCCCCVIII. ſub *Bartholomæi Spataforæ* clientela, uti ex Regeſto Martini alibi laudato; Gens *Romea* Randatienſis elapſis fæculis diu tenuit, cujus auſpiciis pagi initia aſſignant. Ejus dynaſta hodie in Comitiis locum habet. Subeſt Archiepiſcopo Meſſanenſi, qui animarum curam Sacerdoti delegat.

CARONIA Opidum Meſſanenſis Diœceſis, & Comarchiæ Miſtrettinæ, collis jugo impoſitum ad aquilonem, & ortum; ab auſtro enim alterius collis vertex illi incubat. Arcem habet vetuſtiſſimam, cujus eſt in Caroli Andegavenſis literis mentio, quibus Caſtrorum in Sicilia cuſtodes milites enumerat anno MCLXXII. *Caſtrum Caroniæ cuſtoditur per Caſtellanum Scutiferum, & ſervitores quatuor*. Oſtentat ſeſe magnificè Arx hæc per proximum littus agentibus iter, ac pene integra conſervatur in opidi latere ſeptentrionali; ad ortivam vero plagam S. Maria de Odigitria Princeps Eccleſia ſubrigitur, Archipresbyteri curæ commiſſa, qui IV. aliis minoribus ſacris ædibus præeſt. Sed *S.* Paucratii Abbatiale templum Rectori ſuo ſubjicitur, quem Rex Diœceſano offert inſtituendum. Erat ordinis *S.* Baſilii, Rogerio Com: authore. Montis Carmeli Fratrum olim Cœnobium in opido ſurgebat perexiguum, quod hodie deletum. Antiquatum quoque illud Minoritarum, quod anno MDLXXIX. conſtructum *S.* Franciſci nomine, & Aſſumptionis Deiparæ auſpiciis diu viguit. In laribus 208. quibus conſtat, mortales degunt hodie 1226. Sed hujus fæculi anno XIII. cenſus fuit incolarum 624. qui ſuperiori ætate MDCLII. in focis 170. incolas exhibuit 409. Hi *S.* Roccum Patronum colunt. Clerus Archiepiſcopi Vicario obtemperat; Magiſtratum Civilem dynaſta deſignat. *Caro-*

Caroniæ origo incerta licet omnino sit, Sarracenorum ævum non excedit; ejus porro extat mentio in Nicolai primi Messanensis Archiepiscopi diplomate MCLXXVIII. quo hic Maniacensi ordinis S. Benedicti Abbati, Timotheo, Ecclesias aliquot suæ Diœcesis attribuit: *Concedimus etiam in Caronia Ecclesiam S. Nicolai, & S. Mariæ juxta mare. Franciscus Vigintimillius* a Friderico II. anno MCCXCVI. Indit. V. *Caroniam* accepit ex Pirro. In Friderici ejusdem Regesto nihilominus non venit; occurrit autem anno MCCCXXX. *Caroniæ* dynasta in historiis celebris *Matthæus Palicius*, Tripis, Saponaræ, & nemoris ejusdem *Caroniæ* dominus, Regni Siciliæ Vicarius, qui varia fortuna usus, a populo furente Messanæ morti traditus, turbas in insula agitare desiit; mox *Blasco Alagonæ* subjectum opidum invenio. Anno demum MCCCCVIII. *Henrico Rubeo* Colesani Comiti subdebatur. Hinc ad *Cardonas* & *Montecatinos* cum Colesano pervenit, a quibus *Hector Pignatellus* habuit. Hujus enim hæredes in censu de anno MDXCV. *Caroniam* possidere dicuntur, hodieque ad eosdem opidum spectat, qui in Comitiis locum inter Barones LIII. obtinent, & gladii jure fruuntur. In ejus amœnissimo littore Calactam stetisse jam supra adnotavi. Ager pascuis abundat, pecora, bovesque ingenti copia nutrit, collibus nemorosis, ac saltibus, dumetisque ad longum tractum exuberat, uti mox reponam. Fluvius ejusdem cum opido nominis, sub Mellis & S.Petri laudati agri collibus, fontes habens, in Tyrrhenum mare aquas inter Serravallis & Furiani amnium ostia demittit. Quod sit Alæsus minime procedit. Sita est *Caronia* ad grad XXXVIII. X. longitudinis, ac XXXVIII. latitudinis.

CARONIÆ NEMUS, amplissimum, densum, & horri-

horridum, apris, ferisque frequens, ac venatoribus idcirco obvium, unde Panormum ingens Carbonis vis deducitur; Anno MCCCCVIII. erat *Antonii Vigintimillii*, uti ex Martini Regis Censu eruo, licet opidum ad Rubeos spectaret. Hodie Pignatellis subjectum opidanis lucra non modica affert, qui rei carbonariæ quammaxime intendunt.

CARRUBARA Messanense Municipium ad austrum a pomœrio haud procul cum Ecclesia.

CARUSIUS Vicus sub Ætna ad meridiem, quem anno MDCLXIX. montis ejusdem incendia vastarunt.

CASALE NOVUM Opidulum in elati tumuli plano vertice, ortum versus, circa Oliverii fluminis sinistram ripam sedet. Sæculo XVI. decurrente initia cognovit; Caroli V. enim ætate focos 27. numerabat, sed circa sæculi insequentis medium lares 206. opidani 836. computabantur, qui nostris diebus 963. in laribus 246. sunt. Unici Parochialis templi S. Francisco Assisio dicati, & aliarum III. Ædium sacrarum, regimen Sacerdoti incumbit, sub Archipresbyteri Montis Albani jurisdictione. Decens dynastæ palatium est, qui locum cum aliis Baronibus in publico Consilio XX. occupat; Gladii potestatem exercet & civilia confert ministeria. Pratum oletis, vineis, ac moris ubique consitum insignem serici copiam, olei, vinique affluentiam confert. Ejus olim dominus *Antonius Lancea* fuit an: MCCCCVIII. constitutus, uti in Martini I. Regesto; cui alter *Antonius* nepos successit, & huic *Raynaldus* filius MDV. *Antonella* ex *Raynaldo* orta duxit secundis nuptiis *Balthassarem Saccanum* S. Petri Comitem, qui *Casalis Novi* dominus idcirco est dictus; unde *Jacobus*, ex quo *Antonia*, *Balthassaris Naselli* uxor effecta MDXCVIII. & Aloysii mater. Verum, marito mortuo,

mortuo, secundum cum *Petro Cajetano* Sortini Marchione conscendit thorum, opidumque illi cessit. Ab cujus morte *Balthassar* Aloysii filius jure Aviæ in Casalis Novi dominium inductus est. De eo, & successoribus vide *Thomisum* Tom. I. & *Aragona* Tom. II. Clauditur opidum Diœcesi Messanensi, & Comarchia Pactarum.

CASALE SANCTI ex Messanæ Municipiis ad austrum cum laribus 65. opidanisque 283. & Parochia B. Virginis de Consolatione, distat ab urbe pass. MD. in montanis. Ibi Basilianum S. Mariæ de Gratiis Monasterium, & S. Mariæ Angelorum Domus pro Eremitis.

CASALE VETUS Opidum juris Messanensis Archimandritæ, haud procul a *Savoca*, in collibus supra fretum, ubi id *S.* Alessii promontorio terminatur, sedet; Parochialis Ecclesia *S.* Honuphrio sacra, *quæ an sit eadem*, ait Pirrus, *ac S. Honuphrii de Calatabiet, in privilegio Hugonis Archiepiscopi Messanensis, mihi non liquet*. Forte opidum sub Sarracenis *Calatabiet* dicebatur, & mutato nomine inde Latinis Casale Vetus est appellatum. *S.* Honuphrii porro Monasterium inter alia Archimandritæ subjecta recensetur in laudatis Hugonis literis, anno MCXXX. signatis, neque enim alibi ejus elucet notitia. *Est & alia*, subdit idem Pirrus, *in Casali Veteri S. Mariæ Annunciatæ sub Monachis Basilianis Ecclesia.* Opidi census retroactis sæculis incertus; computabatur enim inter Savocæ Municipia. Sed anno MDCCXIII discretim *Casalis Veteris* lares 500. Opidani 1882. computati. In Comarchia, & Præfectura Militari Tauromenitana cum Savoca venit. XXXVII. LV. latitudinis gradui ac XXXIX. V. longitudinis respondet. Est hodie ejus in spiritualibus hierarcha, & temporalis dominus Joannes Franciscus de Gregorio, uti Messanæ Archimandrita. CA-

CASALINUS. Fazellus ita appellat locum, ubi hodie Monasterii Maniacensis prope Brontem Claustrum, & Ecclesia spectantur. Vide *Maniacium*.

CASALOTTUS CAMMARUM supra ejus nominis municipium. Parochia Beatæ Mariæ Virgini de Annunciata sacra est, distatque ab urbe pass. M.

CASALOTTUS S. PHILIPPI, seu *S. Philippus Inferior* ex Messanensibus Municipiis ad meridiem cū Parochia *S.* Philippo sacra circa colles.

CASTANIA Messanensis Ditionis, & Comarchiæ opidum ad Septentrionem, in illo terrarum tractu situm, qui post Messanam hinc ad Pharum, illinc ad Divetum extenditur, vineisque, oletis, ac moris abunde dives, præsertim, ubi colles circa littora leviter inclinantur; In declivi ad meridiem jacet, cum Parochia *S.* Joanni Baptistæ nomini dicata, quæ est præcipua, & altera *SS.* Trinitati sacra, quæ illi cum aliis octo minoribus Ecclesiis suffragatur. *S.* Augustini quoque Cœnobitis in Deiparæ Annunciatæ ab anno MDXC & Paulanis in *S.* Francisci fundatoris honorem circa MDLXXIV. claustra coalescunt; opidanisque commoda & satis decentia ædificia assurgunt. Messanensis Senatus fasces olim recognoscebat; sed emit anno MDCLXXIII. a Regiis Ministris *Joseph Gaudiosus*, & Marchionatus titulo auctum voluit; cujus filiam & hæredem *Victoriam Joannes Alexander Galletti* Panormitanus uxorem duxit, & *Castaniæ* idcirco Marchio evasit. Rediit subinde superioribus annis sub ejusdem Magistratus potestate, qui illatæ in Regium ærarium ab Josepho Gaudioso pecuniæ census annuos hæredibus Gallettis hodie pendet. De spirituali, uti appellant, jurisditione contendunt Magnus S. Joannis Jerosolymitani Messanensis Prior, & Archiepiscopus; Dum adhuc porro Romæ

Romæ lis est sub judice, Pactensis Pontifex *Castaniæ* commendatam habet curam animarum, quæ in novissima descriptione 1630. in laribus 391. sunt computatæ.

CASTANIA Opidum inter Nasum, & Tortoricium, in septentrionali plaga, ab Orlandi promontorio haud procul dissitum, atque idcirco *Castania ad Caput Orlandi* aliquibus dictum, in tumulo ad meridiem & occidentem Phitaliç amnis aquis ab ortu, & aquilone abluto sedet, aerisque insalubritate idcirco laborat. Imminet illi arx hodie ruinosa; hinc dynastæ domus decentissima, & princeps Ecclesia *S.* Bartholomæo Apostolo nuncupata assurgit cum minoribus XI. ac Fratrum Prædicatorum Monasterium spectatur, quod unum ex *S.* Vincentii sociis fundasse perhibent. Colunt cęterò opidani veluti singularem Patronam Deiparam sub Catenæ titulo; In Tortoricis Comarchia degunt, & *S. P*hiladelphi Militiæ indigenæ *P*ræfecto subduntur. Fazelli ęvo lares incolebant 652. sequenti sęculo in focis 760. computabantur 2792. nostra vero ętate lares 333. habitant, ipsi 1192. non excedunt. Tribus olim vicis conflabatur opidum, quorum duo tantum hodie supersunt: *S.* Marina scilicet, & *Castania*. Randaculis enim cum vico, & casali *S.* Marinę in Censu Martini Regis de anno MCCCCVIII. memoratus interiit. *S* Marinæ porro Marchionatus tesseram retulit anno MDCXLVIII. Philippi IV. privilegio, *Josepho Sollima* agente. *Castaniæ* vicus non item. Joseph enim Gaudiosus descripti mox supra opidi ejusdem vocabuli in Messanensi Ditione Marchio, Carolo II. volente, MDCLXXXIII. fuit renunciatus; quod non advertit eruditissimus Franciscus Emmanuel. De *S.* Marina suo loco. Meminit *P*irrus Monasterii *S.* Mariæ de *Castania* ordinis

dinis S. Basilii, idemque fuisse cum *S.* Mariæ de Mallimachi prope *Castaniam* adstruit. Jam de Dynastis hæc habeo.

Sub Northmannis *Castaniæ* & Nasi dominus Abbas Barresius floruit. Petro Aragonio rerum potente ad *Bonfilios Castaniam* devenisse lego. Anno MCCCII. Friderici Regis liberalitate ex literis Catanæ IV. Octobris Longium & *Castaniam* obtinuit *Conradus Lancea* Regni Siciliæ Logotheta, & Magister Justitiarius, qui Rogerri Laureæ sororem sibi conjunxit; ex eaque *Nicolaum* filium tulit, Siciliæ Præsidem. Emit a Lanceis *Eustachius Taranto* Nobilis Catanensis MCCCXXII. unciis aureis CLXXX. solutis; cui *Astasius* filius succedens, in Censu Martini I. *Castaniæ*, *S.* Marinę & Randaculis Casalium dominus vocatur. Ex *Astasio Joannes* MCCCCLIII. quem prole destitutum Margaritha soror excepit, & hanc *Antonius Benedictus Paternionius* ejus ex Nicolao filio nepos, uti ex *Investitura* XX. Julii MCCCCLXXIII. eruitur. Ab *Antonii* morte sine filiis *Gratia* soror dynastiam assequitur, Thomæ Tornambenis conjux; unde *Nicolaus*, cui *Blascus Lancea* litem intendit, quod ad se, uti ex Longii Optimatibus, spectare opidum diceret. At *Nicolao* defuncto, quum ejus sororem ac hæredem idem *Blascus* desponsatam haberet, ex dote opidi dominium suscepit. Ex eo *Cęsar*, cujus filius *Octavius* primus Trabiæ Princęps supra opiduli hujus ab se constructi portam, se *Castaniæ* dynastam appellat. Sæculi XVII. initiis *Sollima* gens nobilis *Castaniam* tenebat; *Joseph* hinc *Sollima* primus *S.* Marinæ Marchio MDCXLVIII. uti dixi est appellatus. *Josepho Joannes* frater, & huic *Francisca* soror, quæ *Alexandro Galletti* copulata in hunc jura sua transtulit. De ejus Successoribus alibi.

Subest

Subest opidum Messanensi Archipræsuli, qui animarum curam suo committit Vicario. Dynasta jus gladii habet, & Magistratum deligit. Ager pascuis uberrimis,& lętissimis armenta locupletat, saltibus & sylvis venationem jucundam pariter & utilem præbet; moris ad sericum conficiendum, fructiferisque arboribus, vineis, oletis rerum omnium copiam colonis suppetit, nec frugibus, leguminibus, & oleribus ingratus audit.

CASTELLUTIUM Casale, quod Henricus Cæsar, Siciliæ Rex Ecclesiæ S. Mariæ de Latina Messanensi attribuit.

CASTELLUTIUM Opidum, in *Francisci Vigintimillii* potestate erat MCCC. eidem idcirco sęculo ipsius origo adscribenda post MCCLXVII. in Diplomate enim Alexandri III. Rom. Pon. quo Cephalędensis Parochiæ censum hic expendit, nulla de *Castellutio* fit mentio. In montibus Soris, de quibus Fazellus, eorumque convalle sedet ad ortum; arcem habens ab occidua plaga prominentem, ac sub ea principem parochialem Ecclesiam, Deiparæ sub Nativitatis titulo sacram, cui communis Sacerdotum cętus inservit. Minores aliæ Sanctorum ædes XII. enumerantur, & contra arcem S. Mariæ de Auxiliis subrigitur cum Observantium S. Francisci Monasterio ab anno MDCXXXIV. quibus Reformati circa MDXCV. ibi constituti locum cessere. Est *Castellutium* in Cephalædis Dięcesi, uti innui, & Amestratina Comarchia, suisque dynastis inter Barones loco XII. assidendi prærogativam conciliat. Laribus 346. incolis 1617. frequens, sęculo XVI. floruit; sequenti focos 528. opidanos 1695. demum nostra ætate focos 367. incolas 1210. recensuit; sed novissime ad 826. cives redactum non levi jactura videtur.

Obnoxium *Vigintimilliis* fuit ad annum MCCCC-

LXXX. quo *Henricus* Hieracii Comes *Matthæo Speciali*, accepto prætio, assignavit, a quo mox *Nicolaus Syracusius* emit. Sed revocare *Simon Vigintimmillius* ex *Henrico* genitus contendit; anno idcirco MCCCCXCIX. *Antonio Simonis* filio parebat. Sequentis sęculi anno XXXVI. *Lercani* ditionis suæ fecerunt, jus vero luendi Vigintimillii non amisere. Hinc ad *Ansalonios* eadem lege opidum transiit, & ex his ad *Timpanaros*, qui circa XVII. sæculi initia *Castellucii* domini dicebantur. Sed ejusdem anno XXXIV. *Erasmus Canizarus* obtinuit, quem filia *Raffaela* excepit, & hanc *Aloysia Bottone* & *Canizaro*, cujus hęres *Agatha Agras* Francisco ex se orto reliquit. Hic *Castellucii* Dux Caroli VI. literis MDCCXXVI. renunciatus, ex Eleonora Parisia *Joannem* suscepit hodie in vivis agentem. Alibi in Notis ad Fazellum *Peraltis*, & *Montecatinis* cessisse *Castellucium* firmavi sub Martino; *Antonius* enim & *Henricus* ejus frater, ex *Vigintimiliis*, eidem Regi infensi, bonis excidere; deque illorum dynastiis provisum idcirco aliorum favore fuit. Atenim quum in gratiam rediissent, denuo pristinis dignitatibus sunt restituti. Quum ejusdem nominis cętero alia fuerint Casalia, uti hodie extant, facile in designandis eorum dominis errorem irrepere posse, non diffiteor.

Habent opidani præcipuo in honore, & tutelarem colunt S. Placidum Abbatem & Mar: Illorum prata pingui gramine vestiuntur, & pabulis abundant; Moros, oleas, vites nutriunt. Utitur jure gladii dynasta, & civilem Magistratum designat; Episcopus per suum præest Vicarium. Latitudinis gradus est XXXVII. L. longitudinis XXXIII.

CASTELLUM ACIS. Vide *Acis Castellum*.

CASTELLUM BONUM Principatus insignibus

ab

ab anno MDXCV. clarum opidum, ad Maronis radices, Nebrodis aliter, & vulgi voce Madoniæ, ortum respicientes surgit, lætamque occupat planitiem, leviter aquilonem, & orientem versus declivem. Illius conditum *Aldoino Vigintimillio* Hieracensi Comiti MCCLXIX. adscribunt; *Fisauli* enim opiduli aeris insalubritate laborantis ab se deleti incolas *Castellum Bonum* ille traduxit; ab Arce scilicet saniori loco extructa, novo opido vocabulum indidit. Et quidem ea prima in tumulo occurrit ad ortum, cui porta adhæret; hanc autem amplissima via, plana, & recta, arboribus utrinque consita excipit, unde e Fipali maritima statione adventant. Arx porro in altum se subrigens, aulas habet, & conclaves pro dynasta; atque S. Annæ opidanorum Patronæ Ecclesiam cum ejusdem sacro capite ab anno MCCCCLIV. ibi decentissimè asservato, quam designati presbyteri sub Majore, ex institutione Joannis IV. Divinis officiis incumbentes, quotidie frequentant. Arci respondet lata & recta via opidum dividens, strata lapide, cui non absimiles sunt reliquæ incidentes. In ea se offert prima Vetus major Ecclesia, Deiparę in cœlum Assumptæ nuncupata, ubi populis sacra administrantur; Mox pene in centro nova parochialis, & princeps assurgit columnis suffulta, ampla, elegans, tholo ad artis regulas, & pronao ornata, Nativitatis ejusdem Deiparæ titulo insignis.

Regulares familias præit dignitate Abbatia Congregationis Cassinensis, cujus monachi dudum in altero prope Engium vetus degentes, hùc anno MDCLIII. in S. Mariæ Annunciatæ sub castello ad austrum demigrarunt. De hac Abbatia suo loco. Vetustiores Minoritani Conventuales sunt; anno enim MCCCXVII. *Franciscus* opidi dominus Joannis XXII. Rom. Pon.

facultate extra constituit, ac dote auxit, & S. Mariæ de Auxilio eorum Ecclesiæ titulum fecit, ubi & sepulchra majorum videbantur, illudque præ aliis, insigni cum epigrapha, Joannis pace, & bello celeberrimi, VI. Hieracii Comitis. Verum anno MDCVI. intra pomęrium in S. Antonini Mart: ędem recepti, sub Deiparæ Immaculatæ auspiciis novam fundaverunt, quò monumenta illa transtulere. S. Dominici ascetæ ad oram opidi in tumulo circa ortum hibernum ab anno MDLXXXIII. sedent, & Joannis III. Marchionis beneficio, censibus B. Virgini de Rosario dotatam Ecclesiam colunt. Minores de Observantia haud procul a foro, sęculo XVII. decens claustrum moliti, sacris hodie officiis frequentant. Capuccinis anno MDLXXXII. locus toti opido imminens datus est circa occasum hibernum. Augustinienses Reformati Centuripinæ Congregationis, sub S. Patriarchæ titulo hodie, circa occasum in ora opidi degunt; decurrentis sæculi initio e vetusto S. Mariæ de Liccia ad II. lapidem dissito, translati. Moniales sub S. Benedicti regula, ac S. Veneræ nomine situ frequentiori Claustra habet ab anno MDC.... Virginum Parthenonem S. Annæ tutelaris vocabulo Franciscus Marchio MDCCI. statuit, Francisci Parecis piissimi Sacerdotis opera, veteri majori Ecclesiæ adhærentem. Collegium denique Marianum eidem Divę Annæ dicatum, in SS. Trinitatis æde paucis ab hinc Antonio Purpura ferventissimo etiam Sacerdote adnitente, anno hujus sæculi XXVI. coaluit. Minores filiales, uti appellant, Ecclesiæ quinque supra decem enumerantur. Nec domus deest Hospitalis, in qua ægris pauperibus, & peregrinis pietatis officia impenduntur.

Sub Gemellis (sunt bini colles ad Nebrodem spectantes,

ctantes, occasum hibernum versus supra *Castellum Bonum*, omnino æquales, II. pass. M. dissiti) vetus S. Mariæ de Partu Monasterium subrigitur, ubi S. Guillelmi Corpus servatur, de quo in Monasticis Siciliç Notitiis scripsi, & inferius agam. In Septentriones S. Anastasiæ quoque Prioratus, cujus Rectori in Comitiis est locus, ex adnexis olim SS. Trinitatis de Mileto, atque idcirco hodie Regii juris patronatus, in laudatis notitiis a me descriptus. *S.* Mariæ de Gratia denique in australis plagæ agro Ecclesia assurgit, Prioratus titulo insignis, ad VI. lapidem, censu sat pingui dotata; Quæ sane opidum nostrum concernunt, & de *Castello Bono* passim dicuntur; Authores enim Hieracenses Marchiones agnoscunt, qui veluti sedem illud, cçteris posthabitis, sibi delegere, a primo nempe Conditore *Aldoino*, cujus jam memini. Ex *Aldoino* enim *Franciscus* senior infelici morte ab Hieracium sublatus; unde *Emmanuel* & *Franciscus* II. Obiit ille sine filiis, *Franciscus* vero *Henricum* procreavit, cui *Joannes* hæres successit, jam supra commendatus, Primus Hieracii Marchio, & apud *Castellum Bonum* conditus. Ex *Joanne Antonius*, quem *Henricus* III. Marchio excepit. *Henrici* filii *Philippus* & *Simon*; illoque absque prole defuncto, *Simon* MD. obtinuit. Post quem *Joannes* II. unde *Simon* & ipse ejus nominis II. qui Mariç gentis etiam Vigintimilliæ copulatus *Joannem* III. progenuit. Hic primus *Castelli Boni* Princeps MDXCV. inauguratus v. in publico procerum consessu votum protulit. De reliquis ad hanc nostram ætatem, de Heracio loquens, scribam.

Hac ratione idcirco, quod in eo scilicet Comarchis frequens sit incolatus; quodque salubrioris aeris, ac longe amçnioris situs habeatur, Hieracensis ditio-

nis

nis Præfectus, sive suprema Curia ibi sedem statuit; sed opidi ac civium commodis peculiaris invigilat Magistratus; Archiepiscopus vero Messanensis pro Cleri regimine Vicarium & Visitatorem juxta Diœcesis leges constituit; Animarum denique cura Archipresbytero incumbit, qui & communi Sacerdotum cętui in majori Basilica Divinis officiis vacantium præest. Census *Castelli Boni* sæculo xvi. fuit larium 1114. opidanorum 4520. sequenti lar. 1672. Incolarum 5625. Anno MDCCXIII. foci 1449. cives 4247. & novissimè 6029. descripti sunt. Comarchiæ caput Cephalædim, a qua x. pass. M. abest, recognoscit, & Thermensem militarem Præfecturam, equites VIII. pedites LIII. suppeditando sequebatur: Solo utitur feraci; fruges, vina, fructus, olera, ab aliis non expectat; sed oletis ita affluit, ut quęstus olei sit incolis præcipuus; fraxinis vero, unde Manna, gummis electa, abunde provenit, consitos undique agros ostentat; nec modicos inde proventus cives capiunt. Fons *Camaris* haud procul ab opido memoratur, cujus aquæ purgandi vim continent.

Illustres denique protulit Viros Balthassarem Abrutium Juris-Consultum eximium, qui post impensos in foro labores, Sacerdotio initiatus, & sacris studiis ac Legalibus impigre ad vitę exitum incumbuit, uti complura edita volumina a Mongitore in Bibliotheca ordine exposita satis declarant. Patrem habuit Octavium, qui *Castelli Boni* Historiam m. s. reliquit ab Rogerio Vigintimillio laudatam in suę gentis Geanologia. In eadem Bibliotheca Vincentius Errans a politiori eruditione commendatur. In ore civium omnium adhuc est Josephus Pirainus Botanicus eximius, qui plures confecit libros, quorum paginas Herbis ipsis oneravit, easque breviter, & virtutes simul indi-

indicavit. Longitudo & latitudo à xxxviii. gradu paucis distat.

CASTELLUM NOVUM. Vide *Bavusum*.

CASTILIONUM Opidum. Vide *Castrum Leonis*

CASTRUM Casale, de quo in Martini Censu de anno MCCCCVIII. *Fridericus Spatafora pro Castro casali & Tymnaria Oliveris*.

CASTRUM LEONIS aliter *Castilionum*; Siculis *Castiglione*, Opidum insigne, ac civitatis *Animosæ* titulo etiam clarum, a quo aliquando regio proxima, seu Vallis, *Castilionis* dicta est; Principatus hodie habens insignia & VII. in Concilio Procerum suffragii proferendi prærogativam suis dynastis tribuens, sub Ætna monte in collibus ad aquilonares plagas assurgentibus sedet. Situs ejus declivis est ad orientem, cujus supremum superciliū in ortum hibernū duplici occupatur arce, munimentis, qua natura, qua arte expugnatu difficillimis; vivo enim ex lapide pene constant, ex quo amplissimę etiam cisternę adhuc perstantes. Mœnium quoque pars aliqua superest, quibus aliquando cives confisi in Siciliæ motibus Regiis copiis obstiterunt, nec portarum reliquię desunt, quibus *Paganę* & Regię vocabulum adhunc appingitur: In arce præcipua dynastæ ædes, & hodie pro fontibus custodiæ. Princeps sacra Basilica Beatis Apostolis Petro & Paulo nuncupata, cum æris campani turri, edito etiam loco sita spectatur; Parochialis Beatæ Virginis in inferiori regione, *Paganæ*, & S. Marci ad orientem suffraganeæ, ac per opidi reliquum XII. aliæ filiales Ecclesiæ Archipresbytero parent; cui Linguægrossæ, Francavillæ, Mottæ, Roccellæ, & Mascalarum opida subessę dicuntur, licèt eorum Rectores, qui eadem fulgent dignitate, sui juris esse condendant. Majoris porro templi origo in annum

num MCV. reiicitur ex lapide inſcripto turris muro adhęrente, quamvis principalis portæ ædificium annum MCCCCXXXVIII. non excedat, uti ejuſdem ſuperliminari appicta epigrapha docet.

Ex Regularium domiciliis intra pomęrium Carmelitarum vetus eſt, & decentiſſimum ab anno MD.... ſub S. Martini titulo fundatum; Monialium clauſtra ultimam expectant manum. Extra vero antiquiſſimum cenſetur *SS.* Trinitatis, ordinis Benedictini Monaſterium, quod prope amnem ad I. lapidem olim, ſubinde ad jactum balliſtæ ab opido ædificatum, Monachis hodie deſtituitur, quorum loco ſeculares Presbyteri ſuſfecti ſub Abbate locum in Comitiis LIX. obtinente, ſacris intendunt. *S.* Auguſtini ſub Centuripis reformatione, civium opera, & ſumptibus conſtitutum, anno MDCX. Andream Ennenſem Congregationis authorem, patrem recognoſcit, quod Deiparæ de *Altomilio* in agro *Metoſcio* primùm ſtetit, poſt XL. annum a męnibus haud procul conſurgit. His Hoſpitalis Domus accedit, ad ęgros, peregrinoſque excipiendos, ante portam Regiam; cui pio operi ſtipes annua, & congrua ab incolis addicta. Ibi fons aquæ perennis, unde cives hauriunt. Suburbium denique ſub majori Eccleſia reſpondet, ſat frequens, ſed ſitu præruptum.

Stemma Arx triceps Leonibus utrinque ſubſtentantibus. Magiſtratus civicus a dynaſtis deſignatur, ab officio tamen illorum nutu removeri nequit. Jus enim gladii, quod Thomas Joenius, primus *Caſtri Leonis* Princeps ſoluto ære obtinuit, Regiis adminiſtris, opidani, conflata pecunia, ac Thomæ reddita, aſſeruerunt. Deſcriptio larium ſæculo XVI. fuit 447. civium 1632. Anno MDCLII. foci 647. incolæ 2467. MDCCXIII. lares 718. cives 2674. ſunt numerati. Comarchia

Lin-

Linguæ Grossæ comprehenditur, & Tauromenitani Instructoris vexillum cum equitibus IV. peditibus XXXVI. sequebantur. Messanensem Archiepiscopum pastorem habet, cujus Vicario Clerus subjicitur. Pratum amplissimum ad XL. pass. M. circumscriptum *Castro Leonis* est, saltibus, nemoribus, quercetis, sativis terris, vineis, oletis, morisque instructum; sed avellanarum nucum amœnissimis viridariis vel maxime consitum; colonorum laboribus abunde respondens, iisque de necessariis ad vitam proinde consulens; Nec pascuis denique, nec aquis indigum, armentis gratum, suinisque gregibus aptissimum audit.

Northmannis Principibus *Castrum Leonis*, Luca Barberio teste, Regii fuit juris, uti sub Suevis, Gallisque. Jacobi I. & Friderici ejus fratris tempore *Rogerio Lauria* Siciliæ, & Aragoniç Architalasso cessit; quo ad hostes deficiente, aliquandiu varia fortuna Regiis militibus, uti innui, restitit, *Joannisque* Infantis Randatii Ducis tandem fasces cognovit, cujus filiam *Constantiam Henricus Statella* cum dote *Castri Leonis* uxorem duxit. *Henricus Rubeus* subinde in clientelam habuit, Friderico III. Rege, quumque hic ab officiis defecisset, *Perronus Joenius* Regni Logotheta ex Regiis literis Messanæ MCCCLXXIII. impetravit, cui Bartholomæus filius successit. *Calcerandus de Villanova* opidum nihilominus sub Martino tenuit. Hic enim Princeps antequam res suas in Sicilia cōponeret, variis exagitatus Procerum turbis, nunc uni, mox alteri dynastias concessit, pluresque literas dedit, quibus uno, eodemque anno varios ejusdem opidi dominos invenimus. Martini igitur diploma MCCCXCIV. datum, *Bartholomæo Perronis* quoque filio, Regni Cancellario *Castri Leonis* opidum assignat; Hic Joannam Ara-

goniam, ex Guillelmo Friderici III. filio notho progenitam, conjugem obtinuit, & Regia insignia suis inseruit. *Bartholomæum Perronus* II. excepit, cujus successores habes Tom. I. ubi de *Aydone*, qui uti *Castri Leonis* Principes ab anno MDCII. inter Siculos Proceres locum obtinent VII.

Viri Illustres S. Chremes Ordinis S. Basilii, Monasterii S. Salvatoris de Placa fundator. Ejus extat vita apud Cajetanum. Antonius Philotheus de Homodeis acris ingenii vir, & summæ eruditionis, qui Siciliæ Historiam a primis conditoribus fuse exaratam ad sua tempora; necnon Insulæ accuratissimam descriptionem eleganti Italico sermone m. s. reliquit; & Topographiam Ætnæ montis Latinè typis edidit. De eo Mongitorius, qui incertæ patriæ dicit. Vixit Philotheus diu Romæ, hinc apud Bolognettos integrum suum opus reliquit. In Giaratanæ Marchionis Bibliotheca nonnisi tomum Historię primum vidi. Longitudo *Castri Leonis* est grad. XXXVIII. XL. latitudo grad. XXXVII. L.

CASTRUM RAO Opidulum ad Ætnæ montis radices, in ortum æstivum sub Castro Leonis, ad fluminis finistram ripam; Messanensis Parochiæ, novi nominis est, tumulo insidens in Feudo Sigona, & Principatus insignibus decoratum: Ejus Parochialis Ecclesia S. Joanni sacra, inter lares 30. eminet, quorum sunt incolæ 80. Illius fundatio *Joanni Rao* tribuitur, unde opidulo nomen; Ex eo *Joannes Franciscus* prodiit, Tauromenitanus patria, qui post aliquot in Siculo foro Præfecturas, Magistri Justitiarii Locumtenens & M. R. C. Præses anno MDXC. adlectus ad plures annos dignitate potitus, *Vincentium* filium reliquit, unde *Antonia*, quæ *Placido de Joanne* nupsit. Hic Principatus insignia anno MDCXXXII. retulit, habuitque filium

Vin-

Vincentium sine prole e vivis sublatum, & ab *Joanne* fratre idcirco exceptum, cui nullus etiam superfuit hæres. *Isabella* hinc soror post fratres suffecti, *Vicecomitem Morram* conjugem Bucherii dynastam in Castrirai possessionem immisit. Ex his *Franciscus* prodiit, Feliciæ Cottone & Rocca maritus, quibus superstes *Isabella* fuit filia, *Dominico de Joanne* Trium Castanearum Principi sacris adstricta vinculis. Unde *Maria Anna* Josepho Alliatæ Villæfranchæ Domino nupta. Fulget hæc S. Joannis Jerosolymitani Magna Cruce insignita, & *Castri Rai* hodie Princeps. Subest Opidum Linguæ Grossæ Comarchiæ; prato gaudet fęcundo, vineis, oleis, morisque consito, nec frugibus indigo; Onobalę enim aquis irrigatur. Longitudo grad: pene xxxix. attingit, latitudo xxxvii. xlv.

CASTRUM REGALE Civitas *Demanialis*, editi collis clivo ad aquilonem contra Mylas insidens, pass. m. v. a littore in mediterraneis dissidet. Est Comarchię Caput, Messanensis Dięcesis pars, Pactarum indigenæ Militiæ Instructori obnoxia, cui xxiii. in equis, pedites cxxxvi. suppeditabat; Fidelissimæ titulo insignis, locum in Comitiis xxxvii. occupans; variis denique, & singularibus privilegiis a Friderico II. Rege, cujus opera incrementa, nomenque sortita est, decoratur. Mœnibus circumscripta, portas ad orientem duas habet, Lignorum & Arcis; ad occideatem tertiam, quæ de *Crizino*, seu *Cristino* dicitur, & ad septētriones quartam a Raynerio vocatam, & recentiorem; nā veteris ad eamdem plagam post aliquot passus rudera spectantur. In meridiem Arcem supremo vertici inhærentem orbicularis figuræ ostentat, cum prætentis munitionibus. Circa vero per latera, & ad radices collis xiv. nostra ætate municipiis instruitur, quorum habes notitias,

ubi nominis se offert occasio. Ex antiquis enim, quæ supra xx. numerabantur, aliquot deserta, nonnulla aliis adhærent; hodieque perstant *Barcellona* ceteris frequentius, *Milicis*, *Rhodis*, *Prothonotarus*, *Portus Salvus*, *Aqua Ficarræ*, *Centineus*, *S. Antonius*, *Nasaris*, *S. Venera*, *S. Paulus*, *Gala*, *Basia*, & *Catalimita*; Hinc lares olim *Castri Regalis*, ejusque Casalium, sęculo xvi. censi sunt 2427. incolæ 10705. Sequentis medio foci 2787. cives 10087. Sub Sabaudiæ Duce lares 2226. incolæ 8404. in novissima descriptione 9007.

Circa originem id firmum puto, in colle opidum stetisse *Crizinam*, seu *Cristinam* appellatum, unde occiduæ portæ est nomen; ejus enim meminit Fridericus II. jam supra laudatus in suis literis de anno MCCCXXIV. *Considerantes*, inquiens, *fidem & obedientiam universitatis hominum terræ Cristinæ de Plana Mylatii nostri fidelium.... Castrum, fortalitium, & terram ipsam* Cristinam, *quæ, & quam de novo pro majori securitate, & salvatione dictorum nostrorum fidelium, construi providimus* &c. Quæ sane verba instaurasse Fridericum, & castrum, seu arcem condidisse, colonisque *Cristinæ* antiquis inhabitanda dedisse, innuunt; Unde *Castri Regalis* nomenclatura extitit. Ex his Fazelli & Pirri opinionem non improbaverim, qui eumdem Regem ex pluribus dispersis pagis, ut unum coalesceret, impetasse scribunt, cui Regia insignia, nomen, & privilegia attribuit. An porro, eo loci, ubi *Cristina*, steterit vetus Crastum, cujus esse reliquias in agro *Bistorino* tradunt, veluti sepulchra in lapide excisa, cryptas, vasculos, lucernas, & hujusmodi alia, mox examinandum suscipiam.

Jam vero Princeps opidi Ecclesia Deiparæ in Cę-

Cœlum Assumptæ dicata , sacro oleo delinita, elegans , & exculta cum tholo, & turri opidum pene medium occupat , eique amplissima respondet area , ubi & civilis Consilii basilica, & Nobilium conspicuę ędes videntur . Vetus autem haud procul surgebat in foro Aquilæ, & regione Judaica , sub S. Sebastiani Martyris titulo , uti ex ruderibus eruitur , sed antiquissima ad *Cristinæ* opidum spectans , a S. Nicolao nuncupabatur , cujus loco Jesu, & Mariæ hodie Ecclesia cum sodalitio suffecta, ad ęstivum occasum, a porta haud procul . Majoris porro hodierni Templi Rector, & Canonici Collegii olim Primas, Archipresbyter, nedum per opidum , ejusque municipia jus dat ; sed aliis dudum vicinis etiam opidulis, Oliverio , Furnari , & Mazzarà præerat . Collegium, quod fuit anno MDCII. institutum, quum esset jurgiorum caussa, deletum hodie jacet. Sed ut opidanorum commodo prospiceretur , tribus aliis Ecclesiis facultas administrandi sacra concessa, Archipresbytero de Sacerdotibus providente . Illorum prima SS. Salvatoris nomen refert sub arce ad meridiem, ubi S. Joannis e marmore eximium simulacrum; altera S. Nicolao de Pauperibus , in qua Christi Domini e Cruce pendentis pia colitur imago; tertiam S. Marinæ septentrionalis excipit regio , hancque Octavius Pręconius tabulis affabre depictis , ac aliis muneribus ditavit . Non omiserim eorumdem Rectores, diu cum Archipresbytero de jurisditione contendisse , atque an: MDCVII. contrariam votis sententiam subiisse . Eminet inter minores alias sacras ædes, quæ ad XV. numerantur,illa Immaculato Virginis Matris Conceptui addicta, cujus festum veluti Patronæ opidani ingenti celebrant pompa; & S.Leonis, in qua Nobilium sodalitas coalescit.

Spectant ad opidi ornatum varia ascetarum domicilia

micilia cum intra pomęrium, tum extra, & in municipiis: S. Mariæ de Gala scilicet Monachorum S. Basilii Monasterium, de quo suo loco, in casali cognomine, & S. Antonini in Barcellona Reformatis additum, cujus memini; Minorum de Observantia in S. Mariæ de Jesu prę męnibus in tumulo ad occasum, ab uno ex S. Bernardini Senensis sociis fundatum, quod inspectione dignissimum reddit amplitudo; Eorumdem Conventualium extra etiam, ad lapidis jactum ab Arcis porta, anno MDIII. constitutum, Annunciatæ *Virgini* sacrum, cujus Ecclesiam elegans marmorea statua celebris Cagini opus, exornat; necnon Nativitatis Domini tabula Caroli Cæsaris donum, Octavio Pręconio, ejusdem cęnobii alumno factum. Capuccinorum sub S. Mariæ de Gratia titulo primum MDLXVI. ad D. passus infra, circa aquilonem, in tumulo, ubi thermalium aquarum vena mire prosiliens spectatur; ex quo ob aeris insalubritatem, proximi amnis occasione, MDCXVIII. translati, mœnibus ipsis in eamdem plagam adhærens claustrum sibi condidere. S. Philippi Nerii Oratorium circa orientem, quod Damianus de Riva MDCXXXII. ære suo ædificatum Presbyteris assignavit. Extabant Carmelitarum extra *Crizinæ* portam, & S. Augustini Canonicorum ad septentriones Monasteria, quæ ab anno MDCLXIX. quòd congrua dote essent destituta, Clementis IX. decretum abrogavit; titulares tamen Ecclesiæ perdurant, ædes ex ruderibus dignoscuntur. Anno hujus sæculi XLIV. de Societatis Jesu Collegio, opportuno in loco statuendo, Franciscæ Morandæ nobilis, ac piæ matronæ fortunis, actum est, sed Regii Placiti defectus opus hucusque distulit.

Monialium cœnobia, alterum S. Mariæ ad Martyres sub S. Benedicti institutis MDLXXIV. originem habuit

buit Petri Sanctori opibus; aliud Clarissarum S. Mariæ de Angelis laudatus Præconius MDLXXVI. liberaliter extructum dotavit, Ecclesiamque alter Præconius nepos consecravit. Utrumque medio opido, regularis observantiæ speculum audit, unde illustres vitæ innocentia virgines prodiere. Ex Locis Piis, uti appellant, binæ Hospitales domus, Purificationis Deiparæ ad ęgrotos; SS. Trinitatis ad Peregrinos pauperes excipiendos patent. Mons insuper Pietatis ad fœnora illicita extirpanda, ab arce haud procul subrigitur, quem Petrus Crisafulli, civesque alii erectum voluere anno elapsi sæculi xv. Subdam hic, post veterem *Raynerii* portam S. Mariæ de Pietate Ecclesiam, in qua civium sodalitium viget, cryptis inædificatam vetustissimis assurgere. Et cryptæ quidem in lapide excisæ aditum habent angustum, fidelibusque olim, ut sacram ibi Synaxim celebrarent, frequentes fuisse creduntur, uti ex aris passim occurrentibus, aliisque sacris vestigiis eruitur. Hinc illud firmari posse duco, quod ab initio innui, longe ante Fridericum mortales collem incoluisse ab ipsis forte fidei Christianæ primordiis.

Sed jam ad Civiles descendam Magistratus. Scrutinio hi deliguntur, in quo vota XL. ex omnium civium ordinibus coeunt. Ex Octo hinc Ingenuis a majori conventus parte Regi oblatis, Decuriones IV. & Annonæ Curatores II. constituuntur; ex popularibus vero IV. designati, de Annona etiam cum Curatoribus cogitant. Syndicus proin plebis commodis invigilat, & Maleficiorum Quæstor, ejusque Collegæ, in Legibus periti jus dicunt, absque gladii potestate; Regius demum Procurator, & Balivi Principis negotiis intendunt. Stemma Castrum in Aquilæ sinu cum Ara-

goniis

goniis insignibus refert. Suburbia ad ortum unum S. Marci, alterum ad occasum, a S. Magdalena appellatum, statim post męnia occurrunt. Ager feracissimus habetur, vini, olei, serici, frugum, fructuum copiam civibus sufficit, externisque etiam oleum vel maxime suppeditat, quod per universam regionem celebratur. Longano flumine, sub opido ad septentriones decurrente, abluitur, de quo suo loco, necnon ad occasum hibernum *Prato* amne, sive *Machco*, vulgi voce *Rossolino* fęcundatur, ut minora alia prætercam fluenta, quæ Longano, & Rossolino adjunguntur. Memoratu sane dignus Fons Veneris Aretio, sed rectius S. Veneræ, cujus aquæ minerales, ferrugineæ, sive calibeatæ *Sanguinei* nomen illi indidere; Diffidet a Castro in orientem pass. M. circiter VIII. & ad Basiæ Municipii spectat territorium. Ecclesia proxima ob ejusdem S. Virginis martyrium, quod ibi accidit, ædificata, religione digna est; ac civibus voti caussa frequentissima.

Est quippe *Castrensibus* firmissima traditio S. Veneram ortu suo loca hæc, & Galam præcipuæ, quæ ultima non est in municipiis, nobilitasse; hinc nedum fontem cognominem, prope quem cęlo denata est, sed & specum ostendunt; in Adelasiæ Reginæ literis memoratam, in qua aliquando latuit, ubi & a fratribus deprehensa pro fide Christi XXVI. Junii anno DCCCCXXVIII. perempta est. Quum itaque veluti civem illam habeant, propitiamque sępissime experti sint, in Tutelarem præcipuam adlectam venerantur. Virgines alias recensent proximis sæculis vitæ integritate conspicuas opidani, quarum agmen duxit Virginia Præconia, Octaviani ex fratre neptis, de quo mox dicam. Hæc e S. Mariæ de Scalis Messanensi Monasterio Benedictini

nedictini instituti, ad S. Mariæ de Basicò Ordinis *S.* Claræ Pii V. decreto translata, indeque in patriam traducta, Cœnobii S. Mariæ de Angelis in ea author extitit; quod Sanctè iustitutum, piissima morte sua condecoravit; incorruptum ejus corpus in illo idcirco decenter asservatur. Reliquas, quarum innocens vita prodigiis, uti ferunt, fuit etiam comprobata, ex nomine promam, ut brevior evadam. Laudant quippe Angelam, & Lauram Calamoneri, necnon Annam Crisafullim, Franciscam Sardo, Lauram Giangiarrem, Innocentiam Collocam, Joannam Lapis, Josepham Molinam, Mariam Scilipotim, Paullam Fleres, quę in laudatis parthenonibus diversis temporibus patriā illustrarunt. His accensendi Angelicus Fava Capuccinus ob mores incorruptos Deo, & hominibus gratissimus; Petrus Lapis Minorita ex Observantibus, genere nobilis, vita nobilior, ab Angelica innocentia, & simplicitate clarus, vulgo Petrus Cuginus; & Matthæus Raymundus Sacerdos, Domus S. Eulaliæ Panormi fundatoribus accensus, Ecclesiasticis muniis insignis, & virtutibus commendatus. Alios compendii caussa dissimulo.

Dignitatibus Ecclesiasticis celebres præit Octavianus Prẹconius, Minor Conventualis, summus Theologus & Ecclesiastes disertissimus, Carolo V. Cæsari a secretis conscientiæ; Abbas primùm SS. Petri & Pauli de Itala; Hinc Arianensis, & Cephalædii in Sicilia Episcopus, tandemque Panormitanæ Cathedræ admotus, ubique profundæ doctrinæ, Apostolici zeli, & eximiæ virtutis radios emisit, de quo Ughellus, Pirrus, Mongitorius & Vadingus. Octavius Præconius Junior, laudati Archiepiscopi ex fratre nepos, *S.* Andreę de Platia Prior, *S.* Michaelis de Troyina Abbas, & Episcopus Cephalęditanus, optime de sua Ecclesia meritus.

ritus. Laudatur a Pirro, & Auria. Philippus Crinò Cardinali Sacchetto ob egregias virtutes & prudentiam acceptissimus, ejusque opera Episcopus Belcastrensis in Calabria, qui ad patrios lares in Siciliam divertens, moxque ad suam sedem reversus, brevi mortem oppetiit. Franciscus Stylo Ordinis Prædicatorum Liparensis Episcopus circa MCCCCLXXVI. cujus meminit Pirrus, post Pium in Elogiis Vir: Ill: Ordinis; Sed patriam reticet. Gentici tamen scriptores urbi suæ adscribunt. Leonardus Bevilaqua Abbas Basilianus, Alphonsi Regis Capellanus. Marcellus Inpallomeni Innocentio X. Rom. Pont. a Sacello, Patriæ Archipresbyter. Octavianus Basilicò Præconius S. Salvatoris de Placa Abbas; Petrus Celi S. Basilii ordinis Generalis; Franciscus de Luca Regius Major Capellanus, & S. Luciæ Abbas, qua dignitate duo item ornati floruere *Castroregalenses* Leonardus scilicet de Alibrando, & Simon Raus, qui postremus etiam Monregalensis Ecclesiæ, vacante sede Vicarius fuit, & Panormitanus privilegio est dictus. Bartholomæus Copellinus S. T. Doctor clarissimus, qui in Regia Catholici Regis vixit aula, fulsitque S. Nicolai de Fico Abbas, ut alios prætercam in Messanensi Cathedrali Ecclesia primis passim officiis perfunctos.

Sæcularis politiæ publicis, ac primariis muniis adhibiti memorantur Joannes Franciscus Rao M. R. Curiæ primùm Fisci Patronus, mox ejusdem Præses, & Magistri Justitiarii locumtenens, clarissimus justitiæ vindex. Lucius Dente S. R. Conscientiæ, M.R. Curię etiam Pręses integerrimus, ac Dominicus Sanginisis M. R. Curiæ Judex. Illustrat hodie patriam Dominicus Pensabene Regii Ærarii Fisci Patronus, doctrina, moribus, & comitate eximius, Legum, ac Privilegiorum

Sicu-

Siculorum vigilantissimus Custos. Editis demum operibus celebrat in sua Bibliotheca Mongitorius: Andream Ferrarium ex ordine Carmelitarum primi Instituti, Ecclesiastem & Theologum paucis secundum, vitę sanctimonia, & regulari disciplina insignem. Vulgavit *Divinas S. Mariæ Magd. de Pazzis Intelligentias*; *ac Divini Amoris Jacula*, aliaque. Paulum Crinoum Medicum ingeniosissimum, qui adversus Franciscum Bissam Doctissimum Siciliæ Archiatrum scribere non dubitavit. Petrum Cicerum humaniorum literarum professorem de Rebus Grammaticis tractatus protulit; Marcum de Rovere Poetam non vulgarem, Vigintimillio notum; Marianum Pavonem Musis non ingratum, ac Vincentium Cucuzza Monachum Olivetanum Theologum, Mathematicum, ac poetam. Commendant præterea Antonium Favam Medicum & Philosophum; edidit Institutiones ad Phlebetomiam; Jacobum de Gregorio Tractatum de Censibus apud Petrum de Gregorio reliquit; Joannem Thomam, & Marcum Lombardos Musicis peritissimos, & Marium Gotto Aritmeticæ artis sua ætate facile Principem. Addam Antonium Maimonem Genuensem; qui exactam *Castri Regalis* Historiam concinnavit ad me liberalissimè transmissam, unde complura hucusque deprompsi. Gradum attingit XXXIX. longitudinis, Elevationis vero polaris XXXVIII. XX. *Castri* dynastas ante Fridericum II. enumerat Mugnos in Sicul: Vesperis; Sed hujus est scriptoris fides suspecta; ab illis hinc recensendis abstineo.

CATALIMITIS Casale ex Castri Regalis Municipiis, a quo pass. MD. in austrum, a Basii vero D. circiter dissidet. Ejus Ecclesia B. Mariæ de Providentia dicata, ubi incolæ Sacramenta percipiunt, Archipresbytero Civitatis subditur.

CATANA ex præcipuis Siciliæ urbibus, ac tertia idcirco Regni soror nuncupata; Clarissimæ titulo insignis; media inter Netinæ & Demanæ valles, ad australes, imasque Ætnæ montis radices, Jonio mari abluta sedet. Situs ad ortum & meridiem planus, in æstivum occasum intumescit. Latitudo gradum xxxvii. xxx. longitudo xxxviii. xlv. contingit; temperato hinc clymate gaudet, nec sęva immiti hyeme asperatur. Męnibus elapso sæculo, arce, & propugnaculis munita, post annum lxix. Ætnęorum ignium alluvie primùm, mox terręmotu de anno xciii. magnam illorum partem amisit, nec nisi ad oras maritimas hodie illa servat; reliquas vero mediterraneas plagas immunitas habet; molibus licèt ex incendio aggestis, locis quibusdam inaccessa evaserit. Arx, Ursina ab ipso conditu appellata, Aragonensium Regum diu domicilio nobilis, in quadro posita, turribus ad angulos iv. totidemque in cujuslibet lateris medio instruitur; portam cum ponte & fossam ab aquilone retinet; reliquas ętneis rupibus circumdatas frontes, quum habeat, ab antiqua pene decessit magnificentia; tormenta nihilominus majora, armamentarium, aulas, custodes milites cum Præfecto ex dignioribus Regii exercitus Tribunis, ostentat, & vi. inter Insulę munimenta censetur. Ex propugnaculis tria integra durant: Magnum, & S. Perrucii, quę maris undis tunduntur; ac S. Joannis pro mediterranea porta; quorum primum, quadris lapidibus compactum, ac juxta veteris architectonicę leges, altitudine spectandum, angulum austro-orientalem efformat. Porta inspectione digna, quæ a Mari dicitur, in plana męnium fronte meridionali, recens post terræmotum patuit; reliquæ veteres, & angustæ ad littus etiam aditum præbent; ex plagis aliis, uti

mari

mnri desiderantur, sic portæ nullæ sunt, una *Fortini* excepta, quæ in prætentis mœnibus, circa mediterranea occidua, incompta ab anno MDCLXXII. aperitur, contra S. Joannis propugnaculum.

Quum nullo porro circumscribatur urbs pomœrio, passimque uti civium commodo opportuna sese offert occasio, novis ædificiis institutis, undique extendatur, vix designari, qualis sit ambitus poterit; ab occidente enim in ortum via præcipua, a cursu nominata, MD. circiter pass. definitur, altera ab austro ad aquilonem, ubi S. Agathæ paræcia, ac regio cognominis assurgit, MCCCC. passus excedit, atque hinc solum *Catanam* occupare IV. pass. M. descriptum jure optimo affirmo. Et viæ quidem enunciatæ, uti & aliæ rectæ, amplissimæ, ac potissimum Ætnæo lapide stratæ, concinno ordine ita disponuntur, ut simul incolarum commerciis, commodisque egregie consulant, advenas vel ipso intuitu in non levem adducant admirationem. Fora, ac compita sat laxa, plateasque frequentissimas viç excipiunt; ex quibus majori basilicæ respondens Columna Hieroglyphica Elephanto supposita ornatur; Venalis a S. Philippo appellata, marmoreis columnis ambitur; pro publicæ Academiæ basilica, ubi Lunares nundinę, fontem cum Cereris simulacro ostentat; & novissime stratam ad extremam urbem, supra ortivum littus, Patronæ ac Civis Agathæ e marmore simulacrum, ob servatam MDCCXLII. a lue patriam, ex voto erectum instruit. Iisdem porro viis, ac foris elegantissimi Ecclesiarum & Cœnobiorum prospectus, necnon publica, & privata respondent ædificia ad omnem magnificentiam constituta. A sacris incipiam.

Major Cathedralis Basilica laudatæ mox Virginis Agathæ nomen referens, Rogerii Comitis opera con-

constructa, quadris ætnæis lapidibus tota constabat, & Ægyptii, uti vocant, Graniti columnis substentabatur. Quum vero terræmotibus quassata, & præsertim de an: MDCXCIII. naves, pronaum, & turrim amisisset, necnisi solę absides ruinæ superfuissent, nostra ętate Andreę Riggii Pontificis cura lõge insigniori schemate refecta, fronte superba, quę albi Ligustici, & Siculi subnigri marmoris magnis laminis, Ægyptiisque columnis integra compingitur, ornata, inter totius insulę sacras moles locum facile principem occupat. Sub ipso fundationis initio Benedictinis Monachis cessit, iique Canonici dicebantur, quorum idem erat Abbas & Episcopus; anno vero MDLXVIII. Pii V. Rom. Pont. decreto sęculares presbyteri illis sunt subrogati. De ea fuse Pirrus, & Grossi. Secunda post Cathedralem *S.* Marię de Eleemosyna Collegialis Ecclesia, & simul Parochia, Regiaque Capella, urbis pene medium occupat; tholo, prospectu, omnique cultu splendet, ac insigni Canonico cętu cohonestatur, ab anno MCCCCXLVIII. Eugenii IV. Rom. Pont. diplomate, necnon Alphonsi Regis voluntate. Reliquę Parochię VIII. per singulas regiones assurgunt, quarum comptiores, & amplitudine spectabiles *S.* Blasii, ubi Beatę Agathę Fornax, locus scilicet ejusdem Virginis ignis martyrio consecratus; & alia, dudum in Suburbio major, hodie a *S.* Agatha extra muros appellata, cum ęris campani turribus.

Monachis S. Nicolai sub Casinate Congregatione amplissimum est Cœnobium ad oram in hibernum occasum. Templum, peristylia, viridaria, bibliotheca, Museum, omnia denique splendida, ut nullis per Siciliam ęqualia meritò reputentur; cunctis namque pręstantiora pleno ore deprędicantur. Ejus in nemore origo anno MCLVI. in urbem translatio sęculi XVI. anno

LVIII.

LVIII. nova post terræmotum molitio MDCCVIII. Abbas in Comitiis cum aliis Ecclesię Magnatibus votum profert. Minores Conventuales, quos in arcis Ursinę area primum constitutos perhibent, Eleonora Regina dote auxit, & in claustro ab se condito MCCCXXIX. sub *S.* Francisci titulo, frequenti loco constituit, suoque demum sepulchro templum decoravit. Hodie ex ruinis Conventus, & Ecclesia prestantiori forma coaluisse videntur. Minores quoque de Observantia vulgo dicti, in *S.* Agathæ veteri æde degunt, sepulchrum, ubi illa post mortem deposita, in elegantissima e marmore ara collocatum custodiunt, a quo non longe Ergastulum perstat adhuc SS. Martyris. Ejusdem ordinis Tertiarii in S. Nicolai de *Trixini* MDCIX. recepti, octogonę publicę areę decenter satis nunc IV. occupant partem. Prędicatorum Fratrum Conventus contra Episcopales ędes, sub S. Catarinæ Senensis nomine, Margaritę de Archangelo nobilis Matronæ divitiis crevit; cujus Ecclesia magnifica brevi postremum expectat complementum. Id porro ab altero instituti ejusdem censetur secundum; quod quum extra assurgat, mox describetur. Eremitarum S. Augustini prope Theatrum vetus, cujus adhuc spectandæ supersunt reliquiæ, antiquis fornicibus substratis Cœnobium inædificatum ante annum MCCXXIX. dicitur, sub *S.* Venerę auspiciis; hisque diebus S. Augustini nomen passim usurpat, & molitione conspicua se effert. Trinitarii Redemptionis Captivorum ab anno MDLXXX. S. Annę templum occuparunt, a proxima arce de Castello appellatum, unique ex potioribus viis prope venale emporium hodie respondentes habet ædes. Carmelitæ Primi instituti supra australes muros ad oram maritimam, Desiderio la Placa authore, qui novam promovit reformationem,

pri-

primam in Sicilia condidere domum, cui adnexa hodie Ecclesia decentissima; Intra ejus claustra absis antiquissima balnei habuisse usum creditur. Teresianos Octavius Brancifortius denique *Catanam* MDCXLIII. primus excepit, qui prope porram Lanceam degunt. Hactenus de Regularibus intra pomœrium.

Montis Carmeli Fratres *S.* Mariæ templo extra Stesichori portam, subinde ab Aci nominatam, in aquilonem donati, statim post trajectum e Syria in Siciliam, Constantiæ Reginæ & Imperatricis opibus sæculo XII. cadente dotantur; Martini Regis subinde, aliorumque Principum muneribus aucti. Nobili e Ligustico marmore peristylio dudum Conventus decorabatur, hodie magnificentissimè restituta ædificia, cum Ecclesia videmus strictioris Observantiæ alumnis adlaborantibus, qui ab anno MDCCXXI. Cœnobium obtinent, & variis in dies incrementis exornant. Claustris eorum vetustissima S. Leonis ædicula concluditur adhuc superstes, ubi S. Agathæ corpus diu in sepulchro asservatum. Prædicatorum ordo IV. in Sicilia sedem *Catanæ* obtinuit; Parochialemque olim Ecclesiam *S.* Mariæ Majoris, extra Portam Regis ad septentriones post varia domicilia tandem MCCCCXX. impetravit, Montecatinis Proceribus, aliisque viris nobilibus stipem suppeditantibus, celebre Monasterium illis erat, quod terræmotu sæpius memorato funditus disjectum, majori ex parte nostris diebus instauratum videmus. Servat Ecclesia B. Bernardi Scammaccæ integrum corpus & veterem B. Virginis de Rosario in ara maxima tabulam insignem. Ad primum lapidem in edito colle circa occasum *S.* Mariæ de Novaluce Carthusianis primum, Benedictinis subinde, Asceterium Blascus Alagonna ædificavit, cujus hodie Abbas Regio nutu designatur, & in

Pro-

Procerum conventu locum occupat. Sed Monachis deficientibus, S. Augustini Fratres Excalceati in eo collocantur; hujus autem sæculi initio, ob aeris insalubritatem aliò illi migrantes, ad ortivam scilicet plagam extra portam Lanceam, novum sibi condidere decentissimum, & amplitudine spectandum. Eidem regioni extra portam Ferream ad maris littus S. Francisci de Paula inhæret Ecclesia cum adnexis claustris Raymundi Cicalæ opera & fortunis fundata. Corruit ipsa, at meridionales fratrum cellæ integræ perstitere; hinc refectis reliquis, & Ecclesia, non ignobilem hodie inter sacra domicilia locum Conventus occupat. Bina Capuccinos fovent Cœnobia; Novum unum frequens, amplissimum, & inspectione dignum, S. Mariæ de Spe titulo, in tumulo extra Acis portam anno MDCXXII. coaluit. Vetus aliud, quod ante portam Decimæ primùm, in austrum supra Naumachiæ rudera, Bernardino a Rhegio insigni sanctimoniæ, & doctrinæ viro, authore, constitutum, post aliquot annos MDLI. ad aquilonarem *Cifalis* regionem translatum, Catharina Fimia nobilis fœmina exædificandum jussit, in quo S. Michaelis celebris est memoria. Ad æstivum occasum B. Matthæus de Agrigento D. circiter pass. Minoritanos fratres de Observantia, S. Mariæ de Jesu auspiciis statuit. Anno MDCXXVI. Reformatis introductis laxiori schemate claustra reparantur, & sæculi hujus initiis rursus instaurata, decentissima habentur. Ecclesiam Virginis Deiparæ ex albo marmore pulcherrima statua distinquit; & vetus Paternioniæ gentis sacellum cum Albari ejusdem familiæ ornamenti, præclarissimo simulacro, honestat. S. Mariæ de Mercede alumnis ædes sacra de Concordia cessit MDCLXXXVII. rem promovente Joanne Baptista Rosa ejusdem ordinis, me-

diæ viæ ad suburbia ducentis situ, quam Petrus Galletti Episcopus hujus sæculi anno XXXII. in filialem parochiam erexit. Prodiit ex hoc instituto B. Alexander Catanensis martyrii gloria illustris.

Societatis Jesu loco urbis celebri domus subrigitur, ipso in vivis agente S. Ignatio, Ferdinandi de Vega Joannis Proregis filii opera MDLV. Templum fronte, tholo, columnis, picturis, statuis spectandum; Sacella ad omnem elegantiam vario marmore, & ære inaurato elaborata; peristylium nobile; omnia denique numeris omnibus absoluta. Colitur in ara minori hodie Deiparæ tabula Roma a S. Francisco Borgia transmissa. S. Cajetani familia *Catanæ* coloniam posuit MDCCXXVII. Innocentii Savanarolæ ejusdem alumni industria in orientali regione *Civitæ*. Decentem hodie, & conspicuam habet Ecclesiam, ædesque congruas, eleemosynis sponte oblatis, inopinatisque subsidiis conditas. Clericos Regulares Minores Innocentius Maximus Pontifex *Catanensis* MDCXXVI. vocavit, eisque S. Michaelis templum attribuit; Joannes Baptista Paternionius subinde fortunis auxit, quas Flavia Ansalone cumulavit; Amplissima gaudent domo, & paucis in urbe secunda. Ecclesia insignior adhuc complementum expectat. Sub eodem instituto, & Conceptionis B. Virginis auspiciis, Bartholomæus Asmundus, bonis, quorum hæres evasit, in dotem designatis, domum erexit, in tumulo ad occasum, ubi vetus SS. Martyrum Alphii, Philadelphi, & Cirini ergastulum, uti tradunt, videtur. Infirmorum Ministri, vulgo Cruciferi, Andreæ Riggii Episcopi jussu MDCXCVI. coaluere, & S. Mariæ de *Dagala* ædem cum antiqua ejusdem tabula obtinuerunt. Moliuntur magnificas ædes, quarum pars major spectanda se præbet; Templum, quod

cum

cum egregia fronte Petrus Galletti jam ſupra commendatus collata pecunia perficiendum juſſit, poſtremam expectat manum. S. Philippi Oratorium hoc ipſo anno, quo ſcribimus, promoveri cępit ad S. Marinæ Parochiam circa occidentem, atque incrementa in dies ſuſcipit.

Sanctimonialium erant *Catanæ* parthenones elapſo ſæculo compluresi; deleti quippe Benedictina ſub regula S. Mariæ Portus Salvi, S. Luciæ, S. Catharinæ V. & M. aliter Abbatia nova, ſub S. Claræ inſtitutis Montis Virginum, vivente adhuc eadem Diva fundatus, *S.* Hieronymi, & *S.* Mariæ Magdalenæ. Superſunt hodie *S.* Juliani vetuſtiſſimus, cujus authores ætas abdidit, in colle Cereris, nunc S. Sophiæ ad aquilonem paſſ. M. circiter III. ab urbe olim locatus, inde ad oram ortivam; anno MDCCIX. in centro, ubi ſatis commodè illius degunt alumnæ, templum ordine, magnitudine, interna, & exteriori venuſtate eximium die noctuque frequentātes. S. Benedicti, Alemanna Lumella, & Rogerio Matina fundatoribus MCCCXXXVI. qui prope primum amplitudine ſitus, ædificiis, ac ornatiſſima Eccleſia ſplendet. S. Placidi Mart. anno MCCCCXX. divitiis Ximenii & Paulæ de Lerida, necnon Blancæ Reginæ muneribus conſtitutus; abſolutiſſimus noſtris diebus, & undique ſpectandus. Intra cujus clauſtra Paternas S. Agathæ ædes extitiſſe tradunt. SS. Trinitatis in occidua regione Cęſarem de Auguſto authorem MCCCXLIX. recognoſcens, mole ædificiorum, ambitu laxiori, ac templi elegantia, cum fronte, ac turribus ſat celebris; S. Agathæ, qui elapſi ſæculi anno XX. Eraſmi Cicalæ opera contra Cathedralem Eccleſiam coaluit; Clauſtris hodie inſpectione dignis, & templi magnificentiſſimo tholo ſuperbiens; Et S. Clarę demum

Antonii Policarpo Paternò Oxinæ Baronis divitiis MDLII. fundatus, qui augusta claustri structura, & nobili templo illustris assurgit. Huic S. Hieronymi adnexum est vetus Cœmobium.

Ad varia pietatis officia domus deputatæ non desiderantur. S. Marci Hospitalis eminet vetustissima, in Stesichori area, magnificentia ędificiorum, & amplitudine spectabilis, Nicolao Tezzano Catanæ perpetuo Archiatro anno MDCCXX. rem promovente; diversis enim in locis antea coaluerat ab anno MCCCCXLV. Altera S. Marthæ succedit, novissimis temporibus instituta pro insanabilibus, & inveteratis ulceribus afflictis; in Montis Virginum occiduo latere. Tres pro custodia virginum puellarum spectantur, quarum præcipua S. Agathæ titulo ab anno MDLXXXVI. publico Senatus ære, & Joannis Pauli la Rocca viri patritii opibus fundata; Altera post Terræmotum in suburbio, Hyacinthi Paternionii opera constituta; Tertiam nuperrimis annis, ex collatis civium eleemosynis, & Josephi Moncadæ olim relictis pecuniis conflatam, pro destitutis, ac dispersis, S. Marię de Providentia nomine, brevi ad orientalem Montis Virginum clivum vidimus notabiliter auctam. S. Marię Magdalenę pro lapsis mulieribus. Orphanotrophium denique, quod Joannes Vega Prorex jussit anno MDCCVII. supra veteres S. Pantaleonis Thermas instauratum, cum sacra ęde S. Marię Majoris viget, ut binos Pietatis Montes prętercam, quibus adhuc locus non est designatus.

Inter filiales Ecclesias S. Marię de Auxilio primas tenet; huic enim Deiparę Lauretanę Sacellum, prototypo omnino respondens nuper adnexum; ac Sacerdotum sodalitium ab anno MDCXXXIV. adjicitur. Excellit quoque S. Martini templum, quod Nobiles Albi sodales supra

fupra veterem Marcelli arcum ædificatum frequentant. In S. Marię de Epiſtola, S. Urſulę, & S. Joſeph elegantia non deſideratur. S. Mariæ de Rotunda antiquum Deorum omnium fuiſſe fanum tradunt, vulgo Pantheon, atque a S. Petro Apoſtolo ad ſacros ritus traductum prædicant.

Adhæret majori Eccleſię, ejuſque areę, & maritimę orę reſpondet elegans Clericorum Seminarium, Antonii Faragonii opera fundatum, auctumque ab ejus ſucceſſoribus, & noviſſime laxioribus aulis concinnatum. Epiſcopale Palatium, eidem Cathedrali templo proximum, ſplendidum ſeſe offert, quod nobilius Salvator Vigintimillius Epiſcopus pulchro, & conſpicuo ordine aulis, & conclavibus diſpoſitis, reddidit. Meridionalis autem ejuſdem proſpectus męnibus maritimis impoſitus inſpectionem meretur. Contra, Biſcarentium Principis ſubrigitur domus inſignis, in qua Muſeum ſat celebre patet. Ad extremam urbem in ortum pro juventute Ephebeum, quod Marius Cutelli ſummus vir, & primarius in Regno Conſularis ex teſtamento hæredem dixit, nulli per Siciliam ſecundum aſſurgit, quamprimum reſerandum. Ex Civilibus publicis ędificiis Scientiarum Academia in quadro poſita, viſu & admiratione omnino digna, aularum amplitudine, inſtructiſſima Bibliotheca, aliiſque ornamentis exculta; cui ſubjectum in orientem Lunare forum cum fonte magnificentiam conciliat. Prætorium paucis ab hinc crevit adeo, uti ex IV. partibus una hodie ad coronidem deducta; nam reliquas impigrè ædificii Curatores moliuntur, non exigui ornamenti cum areæ principi, tum urbi eſſe, non injuria credatur. In eo Senatus, & publica conſilia coguntur. Sex enim viris Magiſtratus coaleſcit; ex Nobilium cętu a Rege deſignatis

gnatis, quibus Syndicus, Patricius primas habens, & Justiarius accedunt; hisque postremis tres adstant Judices. Occupat porro ille in Comitiis sedem tertiam, ejusque Legatum, quoties proceres congregantur, Panormitanus Prætor, Conscriptique Patres medium sibi collocant, & sollemni pompa advenientem excipiunt. Tesseram denique effert Elephantem, cui Pallas insidet; hæc autem ad universale Scientiarum Studium alludit, quo *Catana* supra cœteras insulæ urbes Alphonsi Regis, & Eugenii IV. Rom. Pont. beneficio ab anno MCCCCXLV. decoratur.

Census sub Carolo Cæsare larium numerus urbis nostræ fuit 4907. Sed anno MDXCV. focos 5750. incolas 25024. exhibuit cum Casalibus. His verò distractis, anno MDCLII. descripti sunt lares 2560. cives 11340. Nostro hoc sæculo anno XIII. lares 4160. incolę 16222. qui novissimè 25848. in focis 5710. computantur. Quum autem ex terræmotu MDCXCIII. anni cives pene 18000. perierint, ac tertia illorum pars superfuerit, initus elapsi sæculi medio numerus 11340. vero minus respondens omnino videtur; nec enim circa exitum ejusdem, tot excrevisse millibus potuit civitas; quæ nullo aliunde effecta infortunio per ea tempora fuerat. Cęterò de eorumdem civium indole non est, quod in plura sermonem protraham, ne propria efferre videar. Inter insulanos certè ingenio mites, mente subtiles, in patriam propensi, erga extraneos benevoli, religione in Deum, observantia erga Principes præcipui, legibus denique obsequentes audiunt. Agro fęcundissimo quum utantur, culturæ vel maximè intendunt, artibus incumbunt; servitutem servire respuunt. Verum hæc & alia prorsus dissimulanda, præstatque Veterum memorias promere, unde eorum exemplis

fera

fera posteritas proficiat. Ex illis autem nonnisi præcipuos in ordinem referam. Et prima quidem se offert:

S. Agatha Virgo, quæ sola una sufficeret, unde *Catana* Siculas inter urbes, quin & totius orbis locis præstantior inclaresceret. Novissime de illius patria apud Civitam prope Paternionem, in Actis Eruditorum Italiæ Epistolam non sine risu legi. Atenim eruditissimus author, in ea conscribenda, quum multa infarciat, aut incongrua, aut ridicula, sibi constare non videtur; editisque aliis ejus opusculis, Epistola hæc non respondet; tenebris omnino damnanda. Mortem pro Christo pertulit Agatha sub Decio Augusto, Ecclesia suas inter Eroides primas illi attribuit. Secundus S. Euplius Diaconus, & sub Diocletano Principe Martyr, seriem adornat, cujus egregia gesta in Ecclesiasticos Annales sub CCCIV. anni finem relata videmus. Alii quoque Martyres, & Pontifices sanctimonia clari, veniunt. Commendantur quamplures communi populi voto, ab ævo ultra memoriam, proclamati, quos Beatos appellamus; nec defuere morum insuper innocentia, eroicisque virtutibus preclari, quos ex nomine *Catanæ Illustr.* Lib. XII. laudavi. Ecclesiastica dignitate insignes *Catanenses*, S. Agatho, & S. Leo II. juxta nonnullos, Romani Pontifices, Nicolaus de Tedeschis, & Joannes de Primis, Cardinales; Episcopi ad L. & ultra, aliique primariis etiam sacris muneribus perfuncti longo agmine recensentur. Militia, Togis, supremisque Præfecturis illustrium numerus computari vix posset, quos per ætates singulas laudato lib. XII. cap. IV. sum prosecutus. Nec a Scientia & ingenii editis monimentis celebres pauci computantur. Eminent porro inter vetustissimos Thyrsis Ætnæus, Daphni-

Daphnidis alumnus, & Charondas Philosophus, ac Legumlator, juvatque Nicolai Tedeschii nomen repetere, quem Juris Lucernam merito appellant, ac unus omnium vices implet. In sua autem Bibliotheca Mongitorius supra cxx. *Catanenses* scriptores memorat; nec nostra ætate otio indultum, compluresque cum orbe literario in omni ferme scientiarum genere labores suos communicarunt.

De *Catanæ* origine, fabulis rejectis, illud firmum censeo: Loca scilicet sub Ætna, primis Siciliæ incolis passim frequentia adeo fuisse, uti Poetis de Polyphemo, & Cyclopibus multa confingendi causam dederint. Et fortè ad Amenani fluminis ripas mortales consedisse non erit incongruum opinari; Hinc Acis, Symethi, Galateæ, & ipsius Polyphemi, Ætnæque nomina non omnino fabulosa, sed ad primęvos regionis nostræ viros Principes, & mulieres illorum uxores olim spectasse putaverim. Sicanos insulæ populos indigenas, uti alibi probatum, easdem coluisse plagas ex veteribus scriptoribus discimus. Tradunt enim illi ex metu Ætnæorum ignium, orientales insulę regiones Sicanos reliquisse, sedibus in meridianam oram translatis, quam & Sicaniam denominarunt. Relictum a Sicanis agrum Siculi subinde occuparunt; Græci hinc colonias in insulam traducentes, nonnisi ejectis bello Siculis, Leontinos, *Catanam*, & Syracusam sibi vindicarunt. Chalcidensium porro Colonorum ductor Evarchus, *Catanæ* sibi imperium asseruit, exindeque illa una ex præcipuis Græcis in Sicilia urbibus evasit. Unde autem nomen invenerit, an ab his ipsis Chalcidensibus, uti passim docent, an a Phœnicibus Bocharto authore, in Apparatu ad *Catanæ* Annales satis discussum. Floruit propriis legibus vivens, aliis

Chal-

Chalcidenſibus opidis fęderata ad Hieronis uſque ętatem, Syracuſarum Tyranni hujus nominis I. qui magnis viribus expugnatam, incolis ejectis, aliis inhabitandam dedit, commutatoque *Catanæ* nomine, Ætnam appellavit. Verum Hierone mortuo, cives poſtliminio in patriam remeantes, Campanos inquilinos ejecerunt. Sub Pęnis, & Dionyſio I. varia fortuna uſa eſt, necniſi ſemel Mamerci tyrannidem experta, brevi tempore jugum ſubiit; Timoleontis enim virtute mox liberata, vetus Reipublicæ decus aſſequitur.

Anno Urbis Romæ conditæ CCCCLXXXIX. Olympiade CXXX. M. Valerio Maſſalæ Conſuli, qui cum Hierone II. pacem inierat, ſeſe *Catana* tradidit, quumque magna Siciliæ pars, Syracuſis exceptis, prima Romanæ ditionis Provincia evaſiſſet, Siculis Prætoribus *Catana* etiam paruit, & a Marcello cum primis Conſule poſt Syracuſarum excidium ſummis beneficiis affecta eſt. *A Marcello*, inquit Plutarchus in ejus vita, *complura præter ea, quæ Romæ extant, Diis dedicata cernuntur; Nam Catanæ Siciliæ opidi, ejus extitit Gymnaſium*. De hoc Gymnaſio, quod inſtauratum a Marcello affirmant, ſatis Ego alibi ſcripſi. Sub Romanis porro, an publica illa, & magnificentiſſima opera, Theatri nempe, Amphiteatri, Thermarum, Hypodromi, & Naumachiæ, quorum rudera, & quidem grandia ſuperſunt, viderit Catana, anceps ſum animi. In Epiſtyliis Columnarum, quæ ad Thermas pertinebant, atque hodie majoris templi fronti aptantur, legebatur *Q. Luſius. Laberius. Proconſul. Thermas*. In Aqueductus caſtello, Siculo ore *Botte*, ſub Licodia, unde *Catanam* aquæ ad Naumachiæ uſum deducebantur, erat inſcriptio. *Curatores. M. Malculnius* &c. Utraque vero Romana tempora ſapit. Dixerit aliquis, quod fue-

rint tunc instaurata, prioribus vero sæculis constituta. Rem sub judice relinquo; atque ad alia propero.

Servilis belli malorum expers *Catana* creditur, ejus licet intra fines defectores debacchati sępius fuerint; Verris tamen avaritiam non evasit, uti Tullius memorat, qui Catanam *opidum locuples* & *honestum* appellat. Dum civile bellum inter Octavianum Cæsarem, & Sextum Pompejum exardesceret, ab hoc vexata urbs nostra, atque pessumdata, Cæsaris beneficio meruit levari & Romanorum Coloniis accenseri. Lex illi Evangelica inter primas effulsit, & Apostolicum habuit Episcopum Berillum, qui Ecclesiam fundavit. Hæc porro variis agitata procellis præsertim sub Decio, & Diocletiano; suorum pretioso sanguine Agathę vel maxime, & Euplii decorata, venustior emersit. Pace Ecclesię reddita, quievit Sicilia aliquando; verum barbaris invadentibus Vandalis, & Gothis variis cladibus patuit. *Catanam* sub Theodorico mœnibus reficiendis intentam Cassiodori Epistola ad Magistratus, ejusdem Theodorici nomine scripta declarat. Non diu Belisarii virtute Gothis e Sicilia, atque e *Catana* cum primis exactis, Gręcorum imperium coaluit. Tunc Vigilium Romanum Pontificem in profectione Byzantina hospitem integro hyeme urbs nostra habuit, & mense Decembri complures ad Sacros ordines abeo promotos vidit. Tunc ad ejusdem Ecclesiæ clavum Leone Thaumaturgo assidente, Eliodorus magicis suis incantationibus nostros vexabat, at Leonis Episcopi mira virtus, & sanctitas illi penas meritas subire tandem fecit, vivumque combustum a medio substulit.

Quæ, & quanta a Sarracenis pertulerit Insula, vix quidem posset paucis exponi; eorum tyrannici dominii particeps *Catana* diu ingenuit; ac validius pręsidium

fidium amifit, Corpus videlicet SS. Civis Agathę, quod Georgius Maniaces, ne in barbarorum manus deveniret, Byzantium transtulit. Tandemque Rogerii Comitis opera in libertatem afferta, necnon ad priftinam Epifcopalem dignitatem poftliminio restituta, multo quam antea illuftrior redditur; Northmannifque Principibus, Comitis fucceſſoribus, in primis accepta cum fuis evafit. Sub idem tempus facras Agathę exuvias, difponente Numine, integras fibi redditas vidit. Verum anno MCLXIX. ex ingenti terræmotu ab imis fedibus concuffa, civium XIV. M. jacturam patitur, Ætnæque igneis eruptionibus agrorum infuper vaftationem indoluit. Henrico VI. Cæfare Regni potente, quod *Catana* cum aliquot aliis civitatibus, Northmannis adhæfiffet, Suevofque recufaffet, capta fumma vi, direptaque fuit; fed mox in gratiam revocatam idem Henricus variis gratiis ac favoribus affecit. Quod Fridericum quoque offenderit, hujus nominis I. inter Siculos Reges, & inter Cæfares II. perhibent, quumque hic cives omnes perdere ftatuiffet, B. Agathæ interceffione, a propofitis revocatus dicitur. Sub Gallis *Catanenfis* regio vexata, aliarum tandem exemplo defciens, Caroli jugum excuffit, feque Aragonenfibus dedidit, quos omnino propitios habuit: Petrum, qui Vallis Netinæ Syndicos ad concilium in ea primum coegit, antequam Burdegalas ad indictum fingulare certamen proficifceretur; Jacobum, cui adventanti *Catanam*, ut contra Gallos duceret, cives non femel cum fuppetiis adfitere; Fridericum II. quem ab exceffu Jacobi in templo maximo, inter omnium Regni Confularium, ac Legatorum plaufus prima in Regem falutavit; fępiffimè per fuos milites, equitefque propugnando defendit. Tenuit fub eodem Fride-

rico per triennium urbem Robertus Andegavensis, a Virgilio Scordiensi proditam; Abinde vero cum ipsi Friderico, tum filiis addicta adeo vixit, uti illorum sedes passim vocaretur, & esset. Petrus Comitia post patris mortem *Catanæ* celebravit, ibique ex Elisabetha uxore Ludovicum filium primo loco genitum, aliosque post ipsum suscepit. Quum vero B. Agathæ intercessione, id beneficium referret, nostros variis beneficiis affecit. Ludovicus, puer adhuc relictus, in Regem Panormi coronatur; mox tamen cum matre, & avunculo Joanne *Catanam* redux, ibi aliquando incoluit; sed turbatis insulæ rebus, Procerum quorumdam ambitione, ac Paliciorum malitia, qui secum Regem, ejusque matrem Messanam abduxerant, Civile bellum exarsit, quod nonnisi eorumdem Paliciorum excidio pacari tandem aliquatenus potuit. Messana proin relicta, *Catanam* Ludovicus repetens, sub Blasci Alagonæ præsidio, reliquis diu restitit proceribus; suosque cives, qui in rebellium exitium strenuam operam navaverant, specialibus gratiis, & privilegiis demeruit; Moriens denique apud Acim, suas in avi sepulchrum in principe Catanensi æde locatum, inferri exuvias mandavit. Fridericum *Catanæ* quoque natum, post fratris Ludovici mortem Regno potitum, longe majores tumultus excepere. Hic vero nil habuit antiquius, quam sibi sedem in patria constituere; ejusque incolas novis immunitatibus ob impensa servitia, post celebrata apud illos nuptiarum sollemnia, liberaliter donare. Habuit ex uxore Constantia ibi filiam Mariam, & quum illa ex partus incommodis fato cesserit; in *S.* Agathæ tumulatur; infans sub Alagonæ tutela educari cępit, qui e sacro fonte illam levaverat. Parta pace, nedum inter Siculos, verum & cum Andegavensibus, frui ea Fridericus

dericus vix potuit; morte enim interpellatus, IV. Regni Vicariis designatis, Mariam hęredem reliquit, quæ diu *Catanæ*, Artale Alagona curante, vixit; unde ex arce Ursina dolo sublata, Martini Montis Albi Ducis Aragonensis, uxor efficitur.

Uterque porro Conjux *Catanam* adamavit, eamque ex Alagonę manibus post multa belli incommoda ereptam, suo incolatu, ac pluribus privilegiis decoratam voluit. *Catanæ* Maria cum filio parvulo sepulta manet. Martinus Regni hęres relictus ad secundas cum Blanca Navarrensi nuptias convolans, hanc, insula excedens, Regni Vicariam *Catanæ* reliquit. Hujus & Martini celebris est in S. Nicolai de Arena memoria, ob pretiosissimum munus illud Dominici Clavi Monachis factum, quod & Principis liberalitatem commendat, & *Catanensis* patriæ merita extollit, quæ tam singulare præsidium est nacta. Sub Martini successoribus Bernardi Caprerę ausibus *Catanæ* status turbis patuit, quæ illius demum captivitate siluerunt. Ecclesiæ quoque pax Thomæ de Asmari a Blanca nominati, & Mauri de Cali Episcopi dissidiis turbata, quam nova Joannis de Podio electio restituit. Alphonsus post Ferdinandum patrem Rex constitutus, *Catanam* MCCCCXXI. coactis jam Messanæ Comitiis, venit, ejusque privilegia firmavit, idque etiam post biennium rursus præstitit, novisque cumulavit. Illius subinde frater Petrus Neti Dux renunciatus, ac Fridericus Aragonius Lunæ Comes, Martino Regi ex Tarsia nobili *Catanensi* puella *Catanæ* natus, urbem nostram ex bello Africano reduces adiere, ac diebus aliquot in ea versati, equestribus ludis in foro Lunari celebratis, interfuerunt. Petrus inde Panormum, Fridericus, Tarsia matre secum assumpta, Drepanum navigavit. Rursus porro in Siciliam

ciliam Alphonsus delatus, *Catanam* aspectu suo exhilaravit; recentibusque privilegiis illius Magistratus affecit. Tertium insuper cum fratribus Joanne, Henrico, & Petro per dies IX. se videndum præbuit. Molem portus non levi civium emolumento jussit; tandemque, ut publica *Catanæ* sisteretur Academia, definiens, ex molis vectigali Professoribus pinquia honoraria constituit.

Joannis, & Ferdinandi Catholici beneficio nostræ urbis privilegia, consuetudines, ac statuta, necnon illius Ecclesiæ jura firma, ac rata Legatorum opera decernuntur. Tunc ut tertia Soror, Panormi, & Messanæ omnino compar, *Catana* esset, sanctum, utque suprema quoque Regni Curia, Proregis sedes, & Consularium aulę, alternatim per annum, in tribus hisce pręcipuis insulę civitatibus statuerentur, Regio pręscripto decretum. Ad plures hinc menses, & annos etiam, id servatum fuisse constat, uti publica Regni Consilia ibidem indicta uberrime evincunt. Ferdinandi mortem ingentes Siciliæ tumultus excepere, qui *Catanæ* etiam majori vi erumpentes in cruentas factiones abierunt. Motus compescuit Montis Leonis Dux, Prorex, sumptaque de noxiis vindicta, pristinam restituit tranquillitatem. Caroli subinde Cæsaris adventus Regni felicitatem promovit; sub quo *Catanensium* quoque res floruere. Sęculum XVII. illis infaustissimum accidit, cum ex iterato Ætnę terribili incendio, unde ager omnis pessumdatus, in vastitatem abiit, tum ex terræmotu, quo civitas ipsa in acervum ferme lapidem evasit. Probavere suam cives fidem in diuturno cum Gallis pernicioso bello, aliisque periculis, ac suos erga Principes addictissimi audierunt; ab iis vicissim, gratiis & favoribus munerati. Ut autem nostrorum prementes

mentes vestigia, qui vivimus, jugis obsequii præstare contendimus argumenta, sic novas demereri beneficentiæ tesseras speramus.

De Agro fęcundissimo, & in Sicilia frugum, ac rei frumentariæ capite, quæ dici possent minora longe putantur; Planitiem enim complectitur a *Catana* nuncupatam, solo ex nomine celebrem, montisque Ætnæ radices claudit, de quibus mira cum veteres tum recensiores deprædicant.

CATARRACTIS ex Messanensibus Casalibus in austrum, cum Ecclesia. Ejus anno MCXCV. in Bartholomæi de Luce diplomate, quo S. Mariæ Roccæamatoris enumerat bona, mentionem invenio.

CATENA Acis Municipium. Vide *Acis Catena*.

CATTAINUM Casale olim circa S. Luciæ opidi fines. Spectabat ad Joannem de Manna, ejusque hæredes sub Friderico II.

CATTAFIS Casale in eadem regione, juris erat anno MCCCXX. Nicolai de Pactis. Elapso sæculo ad Balsamos, postremo ad Massenses dynastas pertinet. Hodie ager est vulgo Feudum.

CAVALERIS Casale sub Ramettę Opidi Archipresbytero.

CAVALLARIS Acis Municipium cum Parochia S. Catharinæ V. & M. nomine, ad ortum hibernum, supra maris littus in aspero, & arduo colle situm, ad passus DC. circiter ab opido distans, incolisque non infrequens.

CENTINEUM ex Castri Regalis Municipiis ad æstivum solis occasum III. pass. M. recedens. Ejus Parochialis Ecclesia Deiparæ Virgini sacra antiquissima est, uti ædificii moles græco more, nigrisque ex lapidibus extructa satis ostendit. Huc S. Cathaldi incolę,

quod

quod erat dudum Castri Regalis etiam Municipium, commigrarunt, ædemque S. Episcopo dicatam erexere. Abest *Centineum* ab ora maritima MD. circiter pass.

CEPHALEDIS, aliter *Cephaludium*, Episcopalis hodie Urbs, Straboni, Diodoro, Silio, Antonino, Ptolemęo, Plinio, Melæ, & Ciceroni sat nota. Et Strabo quidem Tyndaridem, Agathyrsum, Alæsam, Cephalædium, opidula esse affirmat; Diodorus lib. 13. Castellum *Cephaledium* appellat: *Himilco cum Himerensibus & Cephalędium habitantibus castellum amicitias inivit.* Atque hæc vetustissima, inquit Cluverius, est hujus loci memoria, id quippe accidit Olympiadis XCVI. anno primo, ante Christum Dominum CCCXCVI. Idem Diodorus subinde scribit: *Agathocles, expugnato Cephalędio, Leptinem præfecit.* Et paullo post: Agathocles, *ut sibi duo opida Thermæ, & Cephalędium traderentur cum eorum juriditione* postulavit. Demum lib. 23. *Romani alia post naufragium classe constructa, cum* CCL. *navibus Cephalędium profecti proditione id ceperunt.* Sed & Cicero Verr. 3. *Tynduritanam nobilissimam civitatem, Cephalęditanam, Halentinam, Apolloniensem &c. perditas esse iniquitate Decumanorum*, Senatui repręsentat, idest Verris Prætoris avaritia fęde vexatas. Et Verr. 5. Sacerdotii maximi dignitate insignem deprędicat. De origine Scanellus loquens, Chalcidensium esse opus, *Cephalędium* vulgavit. At unicam in aquilonari latere, Himeram nempe, Græcam extare urbem Thucydides testatur; Græcos idcirco authores perperam habuisse *Cephalędium* adstruitur. Auria in Cephalęd: Hist: Sicanis adscribit; Hinc in ejus numismatis Herculis figura in perenne hujus per nostras oras peregrinationis monumentum, insculpta videtur; peragravit quippe hæc loca Hercules, Sicanis insulæ potentibus.

tentibus. Nomen aliunde Punicum esse Bochartus cum Hophmanno tradit; nam *Cephalud* idem Punicis sonat, quod Latinis *Rupes flexa*, quadratque loco vocabulum, uti mox infra videbimus. Quamvis communi voto Scriptores, Græcanicum a ditione *Cephas*, nempe *Caput*, esse testantur. Hinc hodie pro tessera Cephalos pisces opidani assumunt, & Duasquius ab hujusmodi aquatilibus, quibus pelagus abundat *Cephaleditanus*, nomen urbi obvenisse contendit.

Situm egregie indicat Fazellus; locata quippe olim fuit, in præruptæ ac ingentis rupis vertice, quæ orbicularis penè figuræ veluti promontorium flectitur, in ortum. Quum autem temporum injuria in exile opidum evasisset, ruinis affectum, & ascensu perdifficile, Rogerius Rex ad angulum rupis subjectum, ipso in littore translatum, Episcopi dignitate, ac templo insigni nobilitavit, quod voti reus Servatori hominum ejusque Apostolis sacrum voluit. Quę fuerit Rogerio vovendi occasio, ex annalibus constat. Non negaverim ante Sarracenorum tyrannidem Episcopali sede *Cephaledim* ornatam fuisse, uti Pirrus ostendit. Verum illis exactis, Messanensi Diœcesi Comes eam addixerat. Rogerius Rex subinde Comitis filius opidanis ad ima rupis, de qua dixi, evocatis, mœnia illis constituit, ac postliminio ab Archiepiscopo Messanensi Parochia impetrata, Regulares S. Augustini Canonicos e Calabria accitos, ac in extructo ad opus monasterio locatos Ecclesiæ famulatui addixit; novoque Episcopo, anno MCXLV. ipsam *Cephaledis* civitatem attribuit, quæ ad sæculi XII. finem usque, & subsequentis initia Pastori suo idcirco obnoxia fuit. Circa hæc enim tempora *Paulo Cicalæ* Januensi, Regis Comestabulo, Collisani, & Aliphiæ Comiti *Cephaledis* cessit.

Anno MCCXXIII. exturbatus Arduinus Episcopus a Friderico Cæsare, insulam, suamque Ecclesiam deseruit; Rex vero Castrum & urbem sibi occupavit. Sed Romani Pontificis authoritate rursus ad primęva jura Ecclesia restituitur. Arx tamen Regiis militibus custodienda committitur MCCXXXII. donec nova Alexandri IV. constitutione Castrum idem, quod in civium manus devenerat, Joanni II. Episcopo redditur. Carolo Andegavensi Principe id ipsum constitutum; Sub Aragonensibus attamen Hieracii Comites Vigintimillii sibi usurparunt. Franciscus enim sub Rege Petro II. se uti *Cephalędis* dominum gerebat, cujus hęredes, ac filii nihilòsecius occuparunt; quin & Episcopum jura Ecclesiæ suæ repetentem ęrumnis confecere. Quum autem Martini Regis ævo rursus MCCCXCII. turbæ exortæ essent, ac *Cephalędis* hostiliter direpta pessum iret, statuit idem Rex, ne deinceps dynastis in potestatem cederet. Quæ quidem sanctio diuturna vix fuit; anno enim MCCCC. Joanni Abbatelli *Cephalędis* pleno jure, quod merum & mixtum vocant imperium, suffragabatur; Mox Bernardo de Requesens, tandemque Antonio Vigintimillio ob solutos florenos M. ac in Alphonsi Regis ęrarium illatos, in clientelam datur. Non diu tamen, quum Lucas de Zarzana Episcopus Antonio pretium reddidisset, urbem redemit.

Ad princeps templum redeo, quod hodie integrum eodem musivo ornatu, ac columnis VIII. pedes XX. altis, ac per diametrum VIII. patentibus, suffultum, cum eximiis ęris campani turribus in edito loco, quale Rogerius Rex constituit, & anno MCCLXVII. Rodulphus S. R. E. Cardinalis Episcopus Albanensis consecravit, sese spectandum prębet. Porphyreticos vero insignes sarcophagos, quos idem Princeps *ad decessus*

sui

sui, uti in diplomate ait, *signum perpetuum conspicuos* posuit, in quorum altero juxta chorum suas condendas iussit exuvias, Fridericus Cęsar Joanne Veneto Episcopo absente, Panormum per summam injuriam, transferendos pręcepit, ac in majori ęde collocavit. Equestres cœterò figurę ejusdem Rogerii, ac alterius Regis conspiciuntur eximię, ad absidis latera, quę decorem conciliant, ac sacella Pontificum opera, variis temporibus extructa ad omnem elegantiam assurgunt. Serica demum Rogerii vestis auro intexta in sacrario servatur, & Euphemiæ Friderici sororis *Cephaledi* defunctæ sarcophagus ostenditur. Canonici, *S.* Augustini Regulares, uti innui, ab ipso fundatore constituti, diu sacris officiis, ac ministeriis in eo intendebant, sed Carolo II. Rege volente, ac Pontificio Clementis X. rescripto MDCLXXI. *S*ęculares Presbyteri illis subrogantur, Joanne Roano Episcopo rem promovente, qui duos tantum ex Regularibus invenit. De hac Ecclesia scripserunt Benedictus Passaflumine & Carandinus. Illi Ædes Canonicales adhęrent, & Episcopale palatium decentissimum; contra respondet Clericorum *S*eminarium, quod primum in *S*icilia Franciscus Gonsaga Pontifex erexit, ejusque successores ampliori schemate, & novissime Dominicus Valguarnera nostro hoc sęculo concinnius reddidit.

Regularium familias complures *Cephaledium* fovet: Minores nempe Conventuales, quorum cęnobium *S.* Antonino Patavino authore coaluisse tradunt anno MCCXXV. Hic enim *Cephalędim* delatus, illud promovit, cupressumque propriis manibus plantavit, quę ad annos ferme CCC. viruisse dicitur. Mali aurei quoque arborem ostendunt, adhuc superstitem, & sacrum vas in quo sacrificium, uti perhibent, confecit. *S*itus est

ejus extra mœnia ad occidentem; aeris idcirco inclementia laborat, uti Pirrus evulgat; Ejusdem ordinis Observantes in S. Nicolai æde a Francisco Gonsaga Episcopo MDXC. constitutos a porta maritima haud procul; Prædicatores Fratres ab anno MDXXI. in S. Blasii agro ad II. lapidem, sub SS. Trinitatis titulo fundatos; ac in editiorem urbis locum MDXL. Hieronymi Vitalis opera traductos; Carmelitas Deiparæ tutelaris auspiciis in S. Sebastiani Ecclesia anno MDLXXIV. Alberto de Monaco adlaborante exceptos; S. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum ascetas, demum S. Petri Nolasci nomine, splendide a Stephano Muniera, instituti assecla, & Pontifice MDCXXIX. dotatos.

Augustinienses a Pirro memorati, duo incolebant olim, S. Mariæ de Jesu extra, & Portus Salvi statim post maris portam, Monasteria, quæ hodie defecerunt. Capuccinis IV. pass. M. in edito colle Gibilmanna datus est locus, de quo ubi de eodem, suo loco uberius. Sedet in centro S. Catharinæ Monialium cœnobium sub S. Benedicti regula, quod ædificiis nobile splendet, & districtioris disciplinæ speculum audit. Author Antonius Faragone Messanensis patria, *Cephaleditanus* Episcopus dicitur a Pirro, Auria vero, quod instaurator fuerit, affirmat. Pro puellis Virginibus parentibus destitutis Marcus Antonius Guffius domum excitavit, & S. Leonardi Ecclesia, quæ olim S. Georgio fuit a Rogerio addicta, illis designata, congrua dote auxit. Hospitales demum ædes pro peregrinis, ac pro infirmis duæ *Cephaledii* spectantur, Francisco de Aragonia Episcopo rem sollicitante, suppetiasque una cum civibus ministrante. Celebrat Auria S. Stephani templum ab elegantia, ac ædificiorum cultu, quæ purgatorium Animarum sodalitati addicta, & insigni sacrarum reliquiarum copia instruitur, uti idem Auria recenset. Pu-

Publica civilia monumenta ad urbis ornatum his sacris succedunt; Quum referrat quippe rupes testudinis figuram, prominensque in altum veluti promontorium mari immineat, stationes idcirco in littore ad naves excipiendas a lateribus efficit, ab opposito flatu utrinque securas. Harum una portus dicitur sub ipsis mœnibus; altera MD. pass. diffidens ab urbe in ortum, *Calura* vulgo appellatur; ipsum vero caput, seu promontorium *Marchiafava* nomen habet; ac undique tota septentrionali ora conspicuum habetur. Portis urbs aditur IV. ab occasu, septentrione, & ortu; mœnibus undique vallatur. Ex illis prima, *Terræ* nomine distincta, quę pretenta alia instruitur, in mediterranea cives ducit, bellicisque tormentis hostium insultus arcet. Altera ab *Arena* dicta, quod ingentem arenæ vim excipiat ad littus usque, ab Ossuna Prorege etiam appellatur, prope quam turris assurgit validissima. Tertiam a *Pistatu* & a *Mari* nuncupant, a qua Munimentum *Granarii*, seu S. Michaelis non disjungitur, maris fluctibus circa radices percussum. Editiori littori inędificatum alterum Munimentum succedit. Turris autem ac Munimenta tormentis maximis instruuntur. Hinc porta ad ortum postrema, *Judaica* a proximo vico, ubi Judęi habitabant, titulum adepta; urbis conficit gyrum, qui ex Auria pass. bis MD. definitur. Hæc porta a *S.* Antonio etiam ob proximam sacram ædiculam nominatur; Prope S. Antonium veteres ingentes ruinę conspiciuntur, *Cephalædis* antiquę reliquię; quę quamvis in monte, ad littus emporium habere potuit, quo merces comportarentur ab externis, civesque frumenta sua, ac terræ fructus in alienas educerent terras. Viæ non angustæ sunt, majorique ex parte rectæ describuntur; illa præ aliis ad portam

Terræ

Terrę duceas, in qua veteris ędificii, ab Rogerio, uti tradunt, ut Regium esset domicilium, extructi, moles conspicitur, *Hosterium* vulgo; quod a Vigintimilliis, dudum ejusdem possessoribus, nobilis gens de Flore MDCVI. accepit; hæc vero S. Dominici ascetis concessit. Opidi medium sat amplum occupat forum, quod lapideus exornat fons, copiosissimas aquas ad civium commodum effundens. Fons quoque e marmore in Majoris Basilicæ area, quem Franciscus Gisulphus Pontifex jussit.

Summo Rupis vertici Arx Regia imponitur, a qua rupes ipsa Castellum appellatur. Hęc porro inaccessa, & prærupta quum sit omni fere ex parte, muro nihilominus vallatur, nec adiri nisi ab hiberno occasu potest, qui sane locus egregie munitur. Cisternas habet arx amplissimas, & Ecclesiam S. Annę titulo insignem; cryptę sub ea visuntur etiam late patentes. Ab arce haud procul altera sacra ædes Divę Venerę dicata, circa quam antiqui opidi rudera spectantur. Quod Jovis porro templum, cum Sacerdotii maximi dignitate Tullio memorata, eo loco steterit, sub quo arx subrigitur, & *Chori* nomine hodie venit, scriptores gentici passim tradunt. Illud columnis suffultum, quę hodie majoris Ecclesię ornamento aptantur, necnon Christianis temporibus vero Deo dicatum affirmant, Præest arci, Regis nomine, ex Militię Ducibus unus, cum pręsidiariis, urbis, & oræ custodiæ intendens. Urbis porro regimini Magistratus invigilat, qui in Regni Comitiis IX. profert votum, & sacram Salvatoris Imaginem, sub qua ad panis escam accurrunt Cephali pisces tres, pro tessera habet. In Censu sub Carolo V. larium numerus 935. fuit. Anno MDXCV. cives 3595. descripti. Sæculi sequentis anno LII. lares 1335. cives 4889. Anno MDCCXIII. foci 1460. animæ 4013. & no-

vissime 5442. Caput est Comarchiæ, & Militaris Thermarum Præfecturæ signa equites ejus IV. pedites XLII. sequebantur. Aere gaudet saluberrimo; ad latitudinis gradum XXXVIII. X. & longitudinis XXXVII. L:

Episcopus, cujus institutio, uti innui, antiqua memoratur; Nicetas edim *Cephaledensis* Constantinopolitano VIII. Concilio suscribit, & Syracusano throno *Cephaledensis* Episcopus subjectus a Myreo refertur; a Rogerio restitutus, Joçelmus primus se offert Monasterii de Balnearia Prior, cui, ut ejusdem Regis gratiam iniret, Hugo Messanensis Antistes Diœcesim designavit. Sed Joçelmus, ejusque successor Arduinus electi tantum dicuntur. Boso vero primus consecrationis insignia suscepit. Qui porro ad clavum hodie sedet Josephus Castelli juxta Pirri seriem LIV. habetur, morumque eximia probitate se commendat. Ad Regni Comitia idem vocatus, inter Ecclesiasticos Hierarchas loco VIII. sedet, & Messanensi Archipręsuli, uti Metropolitæ suffragatur. Ad eum pleno jure *Cephaledis* civitas spectabat. *Sed ad nostra tempora*, inquit Pirrus, *Episcopus cognoscere potest omnes civiles causas Appellationis a Curia Cephaledensi Sæculari. Jurisditionem contentiosam contra laicos exercet in his causis, quæ concernunt Victualia. Item ut coram Episcopo, vel ejus Vicario administri urbis creentur; Demum pœnæ impositæ ab urbis Fisco pro delictis & contumaciis Episcopali camerę applicantur*. Hęc Pirrus.

Illustres viros enumerant a morum pietate: Antonium Loduca Presbyterum, qui Romæ diu vixit, ibique sanctimoniæ opinione cœlo, uti creditur, infertur. De eo Cajetanus in Idea, Pirrus, Auria, & alii. Franciscum ex ordine Capuccinorum, cui morienti Beatissima Virgo se spectandam præbuit, uti Boverius

verius testatur, & Joannem Baptistam de Franchis Spinolam, de quo inferius. Ecclesiasticis dignitatibus perfunctos laudant. Rogerium ex Clericis Regiæ Capellæ Panormitanæ, Episcopum Melitensem circa annum MCCLIII. Henricum ordinis Minorum, Melitæ etiam Pontificem MCCCIV. Petrum Guerrerium S. Mariæ de Bordonaro Abbatem, subinde Urgentinum in Italia Episcopum, cujus meminit Ughellus. Rogerium Vaccalora S. Petri de Palatio Cantorem, Regiumque Capellanum Martini tempore, cui apprime carus vixit, ac Petrum Ordinis Prædicatorum de Rebus fidei Quæsitorem. Passaflumine ex Cagliola Vincentium Minoritanum Pactarum & Marianę extra Siciliam Episcopum inducit, sed Pirrus ejus originis lares reticet. Auria Franciscum ejusdem instituti *Cephalædis* egisse Pastorem tradit, sed nulla alia de eo memoria extat. Inter Scriptores Siculos Mongitori memorantur: Matthæus de Anna Ordinis Prædicatorum Examinator Synodalis, & Generalis Ecclesiastes, Poesis, & Literarum amęniorum cultor. Plura metro scripsit; Laudatur ab Auria & Allatio. Antonius Loduca, de quo supra. Illum commendant Menochius, Pancirolus, Panvinus, Viegas, aliique apud eumdem Mongitorem. Edidit *De VII. Angelis Orationes*. Benedictus Passaflumine Minoritanus de Observantia, eruditione, & doctrina clarus; Scripsit *De Origine Ecclesiæ Cephalæditanæ, & Francisci Gonsagæ vitam.* Josephus Flores eximius Poeta, & Astronomus non vulgaris, cujus Latinas, & Italicas cantiones Vincentius Auria typis dedit; Joannes Baptista Spinola, prelo commisit Idylium *Belvedere*, & alia reliquit, teste Auria. Joannes Baptista de Franchis Ordinis S. Dominici, vir doctissimus, & ab eximiis religiosis virtutibus clarus. Tenacissimæ memo-

riæ

riæ, quidquid legebat minutim enunciare auditus. In fidei Quæsitorum tribunali ad annos XL. librorum Censor; multa edidit a Mongitore relata; qui de pretiosa ejus morte etiam, ac de honoribus, quibus elatus est, multa scribit. Sebastianus Combus Medicus, & Poeta in utraque facultate excellens. Stephanus de Anna Parochus S. Crucis Panormi, Theologus, & Poeta non vulgaris. Paulus Velasquez Musis acceptus, & Thomas Federici S. Mariæ de Mercede alumnus ab arte oratoria commendatus, necnon Theologus profundissimus. Siciliæ provinciam rexit, & Ordinis Definitor Generalis effulsit. Sunt qui Vincentium Auriam, eruditione clarissimum, patria *Cephaleditanum* faciunt, sed ipse Panormum patriam suam sæpissime vocat, & Mongitorius Panormitanis accenset.

Numos antiquæ urbis *Cephaledis* æneos IV. habemus, in quibus Jovis caput, & Herculis figura, item clava ad Herculem alludens; Mercurius in III. & Diana in ultimo exprimuntur, quos Auria laudatus eruditissimè expendit. De Agro frugum fœcundo, sed arboribus fructiferis maximè consito, oleis, moris, vitibus, pomis, ad rurales denique delicias aptissimo id affirmant, urbem nempe *Cephaledim* Placentissimę titulum ab illius amęnitate sibi comparasse. Nemoribus, saltibusque nihilominus scatet, quæ sub Episcopi sunt ditione. Mare piscosum cetariis abundat, de quo Silius.

CERAMIS Opidum, *Ceramium* nonnullis, nomen a Gręcis ex Maurolyco invenit; ad tegulæ enim assurgens formam, quæ illis *Keramos* dicitur, austrum, & occidentem decliviter situm respicit. De eo apud veteres mentio nulla, quod enim Herbessus eo loco steterit, uti perhibent, non procedit; Nam duo Herbessus in Sicilia olim quamvis fuerint, altera in Syra-

 cusana

cusana ditione, in Agrigentina alia locatur. Græcos igitur habuit quidem *Ceramis* authores, qui ante Sarracenos toti insulæ dominabantur, quo autem signanter sæculo, incertum. Rogerius Comes, Gaufrido Malaterra lib. 33. teste, *Ceramium* Castrum ab hostibus oppugnatum audiens, Serlonem præmisit Nepotem suum, qui hostium impetus substineret. Hic per portas erumpens in barbaros, quorum ingens erat multitudo, fertur, eosque in fugam agit. Nec diu superveniens Comes acie directa, Divi Georgii auxilio, qui suis spectabilis apparuit, fretus, eosdem barbaros, congredi cum eo ausos memorabili strage fudit, uti fusius in historiis Fazellus cum Maurolyco scribit. Mirari hinc certè subit, quo pacto idem Fazellus *Ceramim* Capitii suburbium, quod IV. pass. M. inde abest, olim fuisse affirmet.

Insidet arx, adhuc hodie celebris, supremo vertici rupis ab ortu, & aquilone præruptæ, ac toti opido dominatur, ubi dynastæ palatium magnificis aulis & conclavibus instructum, ejusdemque S. Georgii Ecclesia, quæ Arcis est parochialis, quam Natalis Dominici nocte Clerus cum Archipresbytero Divinis officiis, ac sollemni sacrificio frequentat. Major Basilica pene in centro circa occasum S. Ambrosio Ecclesiæ Doctori sacra, cujus festum summa cum pompa veluti præcipui Patroni, cives celebrant, eidem Archipresbytero concreditur, parochialia munia cum suis exercenti. Suffragantur autem illi VII. aliæ minores. Jam sub arce ad ortum Tertii Ordinis S. Francisci circa annum MDLXXX. coaluit Conventus, cuius est tutelaris S. Michael. Ad imas opidi partes in aquilonem S. Mariæ de Monte Carmelo Deiparæ Annunciatæ auspiciis, ab anno MDCXX. incoluntur ædes. Monialium cœnobium S. Mariæ de Lavina titulo, ac S. Benedicti institutis

ſtitutis gloriatur. Olim erant illæ extra opidum; degunt hodie ſub Principe templo, ac Deiparæ tabulam vetuſtiſſimam oſtendunt, miris prodigiis illuſtris. Ad paſſ. circiter D. S. Salvatoris Prioratus Benedictinis S. Nicolai de Arena Monachis addictus ex Simonis Policaſtri donatione, de quo iterum.

Hiſce ornatum ſacris ædibus *Ceramis* opidum Principatus teſſeram ab anno MDCLXIII. obtinuit. Sub S. Philadelphi Militari Inſtructore peditibus XXXVI. equitibus IV. procedit, & Troynenſi clauditur Comarchia; Paſtoremque Archiepiſcopum Meſſanenſem recognoſcit, qui ſuas partes Vicario, & Viſitatori committit. Sæculo XVI. lares 671. animas 2084. numerabat. Sequenti focos 752. incolas 2767. Decurrentis anno XIII. in focis 649. animæ 2434. deſcriptæ ſunt, quæ noviſſimè 2290. Latitudo eſt ejus graduum XXXVII. XL. longitudo XXXVIII. V. Ager frugum ferax moros nutrit, fructiferaſque arbores; nec nemoribus caret. Suburbiorum in eo veſtigia ſpectantur, quorum nomina Rahalis, S. Maria, & Zuccaleum. In feudo de Gallo copioſa minera, quæ nondum aperta; uti & Salina haud procul. Flumine demum abluitur, cujus ripas pons magnificus, & vetuſtiſſimus conjungit, de quo locutum fuiſſe Ciceronem tradunt in Verr. Ortum habet ſub Capitio, & in Salſum circa Serlonis petram ſe condit.

Viros demum protulit *Ceramis* illuſtres Lucam Nicaſium III. Ordinis S. Franciſci, qui innocentia vitę, ac præclaris virtutibus præditus, miriſque a Deo ſignis commendatus diu Meſſanæ vixit, ubi mortale corpus depoſuit, quod in Eccleſiæ ſacrario decenter aſſervatur. Floruit, & Bonaventura de Rubeis ejuſdem inſtituti S. T. Magiſter doctrina, morumque integritate

conſpicuus. Ordinis quippe Procuratorem Romę egit ac provincias aliquot commiſſas habuit, necnon Siculę bis præfuit; Collegium in Urbe ſuorum S. Pauli de Arenula ſtrenuè promovit, ac ædificiis auxit, ibique ad annos xxx. Viris principibus etiam Eccleſiaſticis, ac præcipuis Matronis ob intemeratos mores, ac peritiam in conſulendis conſcientiis, acceptiſſimus vixit ad MDCCII. quo piiſſimè vita exceſſit.

De Dynaſtis, qui Magiſtratus hodie deſignant annuos, & Jus gladii habent, multa occurrunt: Primus enim in ſeriem venit *Simon* Policaſtri Comes, Rogerii ex Flandrina filia nepos. Hic Licodiano. S. Marię Monaſterio S. Salvatoris apud *Ceramim* paſſ. cc. diſſitam in ortum Eccleſiam, cum circumpoſitis terris attribuit, quæ Prioratus hodie dignitate inſignitur. *Simonem* Manfredus filius, & hæres excepit, Mazarini etiam Comes. Sub Gallis nobiliſſima gens de *Arnoldo* tenuit. Sęculi XIV. anno XX. *Petrus de Antiochia Ceramis* dominus dicitur, in Friderici II. Cenſu, ſeu duarum ejuſdem partium, nam tertia hæredibus *Joannis de Manna* obnoxia erat; tria enim, uti dixi, Suburbia, ſeu minora caſalia *Ceramio* adhęrebant. Idem *Petrus* Capytii, Miſtrettæ, & Regitani opida beneficiario titulo poſſidebat; haud dubium idcirco, quod *Fridericus* ejus filius, quem laudatus Princeps Capytii Comitem, uti hiſtorię produnt, conſtituit, circa annum MCCCXXXV. *Ceramium* feudi jure devinctum haberet. Quo pacto igitur Petrus II. ſequenti anno *Ruſſo Rubeo* Comitatus *Ceramenſis* inſignia tradiderit, ſollemni inaugurationis ſuæ in Regem die, haud ſatis diſpicerem, niſi conjecturis agendo, *Antiocheni* deſcitionem, antequam Petrus inſignia ſuſciperet, congruenter ſatis reponerem. Franciſco enim Vigintimillio adhæ-

adhæserat *Fridericus de Antiochia*, extremis Friderici Regis diebus, turbasque cum illo concitaverat, atque a bonis fortasse exciderat; hinc de ejus dynastiis in manus Regias devolutis, rite *Ruffi Rubei* favore dispositum; hicque *Ceramis* Comes MCCCXXXVI. potuit renunciari.

Quum porro & ipse *Rubeus* ab institutis quoque recessisset, *Ceramim* cum Capytio *Franciscus Palicius* Nicolai filius assecutus, illis aliquando præfuit, donec exturbatus, bonisque exutus, *Berardo Spatafora* locum cessit, qui Friderici III. rescripto MCCCLVI. opidum in clientelam suscepit. *Berardo Thomas* filius successit MCCCLXIII. cui *Beatrix Rubea Henrici* filia nupsit. *Henricum* hunc inter *Ceramis* Comites lego, Luccę Claromontanę maritum. Neque sub id tempus inauditum, quod ejusdem opidi duo se domini jactarent, adeo enim susdeque per insulam Procerum malitia res abierant. Martino Rege *Guillelmus Rubeus Thomæ* successor designatur, qui ex uxore Eleonora *Ludovicum* habuit filium, in Censu Martini ejusdem de anno MCCCCVIII. pro Castro & Terra *Ceramis* Curiæ obnoxium. *Petrus* ex *Ludovico* genitus *Ceramis* dynasta MCCCCXLV. unde *Henricus*. Hunc autem excepit *Hieronymus* MDVIII. qui Catharinam Barresiam uxorem habuit; unde ortus est *Vincentius Hieronymus*, Isabellæ Larcan subinde maritus, quibus nati sunt Georgius, Beatrix, & Paula. Postrema hęc post immaturam fratris mortem hæres, ac Comes N. Camolo equiti Messanensi conjux effecta *Hieronymum* illi peperit, qui ex avi præscripto *Rubeorum* cognomen, ac arma assumpsit, duxitque in uxorem Isabellam Carretto ex Comitibus Rahalmuti.

Anno MDCVII. *Ceramim* sub Joannis Carretti po-
testate

testate venisse comperio apud Sancettam, sive illius Epitomatorem, qui ad sæculi elapsi annum VI. dynastas recenset: *Russus Ceramis Baro*. *Stemma*: *Stella cadens aurea in parma rubra, foci 500. possidet etiam Militellum V. D. foci 400.* MDCVI. *Ceramim possidet gens de Carretto*. Sed apud Emmanuelem *Sicil. Nobil.* par. 2. lib. 1. Ex *Hieronymo* & *Isabella* laudatis *Joannes* prodiit; cui cum Melchiora Angotta contigit filius *Franciscus Rubeus* ob meri & mixti imperii acquisitionem anno MDCXL. memorandus, qui & primus etiam Principis titulum MDCLXIII. Philippi IV. privilegio meruit; ac locum inter Comarchas L. in Comitiis obtinuit. Munus Majoris in Regno Vexilliferi *Franciscus* etiam gessit, quo *Damianus Rubeus*, Regum Aragonensium beneficio, dudum dicitur decoratus, quum Militaris Siciliæ famulatus indictus ævo illo fuit. Ex eo & Alexandra Sanctacolumba *Joannes*, qui cum Remigia Scammacca uxore *Dominicum* progenuit. *Joannem* ex Anna Politia tulit *Dominicus*, Patritiis Catanensibus accensum, Oliviæ Moncadæ maritum, qui hodie a morum comitate, & elegantia, atque a Philosophiæ studiis commendatus vivit.

Mitto hic apud nonnullos adnotari, *Franciscum Vigintimillium Ceramis* Baronem evasisse, ob solutum opidi pretium, quod filiæ Elisabettæ, seu Isabellæ in dotem assignavit, hancque *Henrico Rubeo* nuptam vixisse. Id quippe penes authores de utroque *Francisco* Hieracii Comite agentes, non invenio.

CESARUM Siculo ore *Cesarò*, *Cesaredium* aliis, & *Chisarum de Insula*, Opidum Ducatus tessera fulgens, ad *Columnios Romanos* hodie spectat; Messanensi Diœcesi, Tauromenitani Instructoris provincia, & Troynæ Comarchia clauditur; arduo sedet loco, ad fontes Sy-

Symęthi ab eadem Troyna in ortum, a Bronte circa æstivum occasum sejunctum, gradumque longitudinis xxxviii. xx. ac latitudinis xxxvii. xl. attigit. Princeps in eo templum Deiparæ Virginis Assumptioni dicatum sub Archipresbyteri degit cura, ac filiales, uti appellant, Ecclesias v. obnoxias habet. Minoritanis, quibus S. Rocchi tilulo mdlxx. dudum ędes fuit designata, S. Calogeri ab anno mdcxxiii. congruis fabricis, dynastæ beneficio constitutis, hodie attribuitur. Castrum in supremo tumulo olim celebre, ruinis nunc undiquę patet.

Cesari mentio extat prima Friderici II. ævo. Hic enim Princeps exauthoratis *Inquinta* Asmaris de Ayn, & *Nida* Raymundi Moncadæ uxoribus, quod fratrem *Jacobinum de Puteolo* opidi dominum dolo occidissent, *Christopharo Romano* illud dono dedit anno mccccxxxiv. Fulsit hic nedum Regius Medicus, sed & Messanę Strategus, uxoremque Luciam Manfredi Claromontani filiam conjugem habuit. Ejus ad hæc tempora hæredes *Cesarum* possident, ex quibus mccccviii. *Thomas Romanus* penes Martini I. Regestum memoratur pro Castro & terra *Chisari* & S. Lucię feudo Curiæ obnoxius. Alias hic dynastias est assecutus, ac Regni Magister Justitiarius dicitur a Mongitore. Filium habuit *Christopharum* juniorem, unde *Joannes Antonius*, ex quo *Thomas* II. mcccclv. *Cesari* Baro renunciatus, aliique post ipsum, quorum seriem infra invenies, ubi de Flumine Dionysii. Primus porro *Cesari* Dux mdcxliii. *Antonius Joppulus* ex Caroli II. privilegio fuit, Regii Ærarii Præses, qui a morte *Rosaliam* filiam hæredem dixit; *Calogeri Gabrielis Romano-Columna* uxorem. Hic ex Regni xii. Virsi, Regii Patrimonii Rationalis Magister, secundùm Panormi

normi Prætor ad annum MDCCXL. vixit, cui *Calogerus Gabriel* nepos *Joannis Antonii*, & Eleonoræ Brancifortiæ filius, ex patris cessione successit. Sedet *Calogerus* in Comitiis loco XXVII. moribus egregiis, & viro principe dignis abundè dives, atque ab ingenii cultu insuper laudatus.

CHARYBDIS. Sub Turri specula, seu Pharo, *Laterna* vulgo, mare verticosum est, de quo fusius agam *Fretum Siculum*, seu *Messanense* describens, ubi *Charybdis* fabulam expendam.

CIERA, aliter *Zaera*, ampla est Messanæ urbis extra portam Imperialem regio, mœnibus austrinis adjuncta, cum Ecclesia Jesu, & Mariæ sacra, vulgo de *Ciacato*, in qua sacris administrandis Sacerdos intendit sub S. Antonii Parochia. Viis longè, ac latè patentibus descripta, ac civium ædibus elegantissimis ornata, S. Mariæ Magdalenæ, Congregationis hodie Cassinensis Monasterio, & Monialium Spiritus Sancti, Cisterciensis ordinis claustris, Augustiniensium denique Excalceatorum sub Annunciatæ titulo, necnon Minoritarum S. Ceciliæ cœnobiis instruitur. Illam ab austro adeuntibus magnificentissima occurrit porta eodem *Cieræ* nomine insignita. Ejus lares & incolæ in censu urbis veniunt. Memorant *Cieræ* ortum Archangelum Gualterium Ordinis S. Francisci Generalem, & Montis Regalis Archiepiscopum.

S. CLEMENS Municipium est Messanense ad meridiem, post Cieræ portam occurrens, ac Dromi postrema pars, torrentis de Cammaro alveo abjuncta. Ejus parochialis Ecclesia eidem S. Pontifici dicata elegans est, & ampla, de qua Bonfilius, & novissimè Gallus in *Annal. Messan. Apparatu*. Excipit eamdem Carmelitarum Discalceatorum Conventus, sub S. Alberti

berti auspiciis MDCL. Cæsaris Romani divitiis fundatus, & varia Nobilium civium suburbana, atque artificum officinæ. Extat hujus mentio in Bartholomæi de Luce diplomate de anno MCXCV.

COLESANUM Opidum in Valle Demana præcipuum, ac inter Comitatus ejusdem primum occupans locum, *Golesanum*, aliter *Tbolisanum*, sedet in solo inæquali hodie ad radices montis Asperi ex Nebrodis collibus inferioribus, contra montem Auri; vetustis tamen temporibus in colle undique prærupto ad occasum situm, ex Alæsis civitatibus una reputatur, uti ipsum indicat nomen; nam C*ollis Alæsanus* facili literarum ellipsi in C*olesanum* evasisse potuit. Quod plures autem in Sicilia olim Alæsæ fuerint, Diodorus lib. 14. testatur, cujus verba de Alæsa Arconidis loquens, quæ sub Tusa stetit, expendi. Hinc Plinius Alesinos Populos mediterraneos indicans, de nostri opidi incolis intelligere passim creditur, uti etiam innui de Alæsis Mediterraneis scribens. Et sane, quæ adhuc in memorato colle proximo ad occidentem, qui unica tantum via ab ortu, lapidibus nunc etiamnum constrata, adiri poterat, spectantur rudera, ædificiorumque cadavera, de antiquo nos admonent opido. Pirrus, qui cum Fazello C*ollisanum* appellat, falso apud Aretium æstimari Alæsam affirmat, & quidem optimè, si de Alæsa Arconidis Aretius intelligit, quæ alibi stetit. Cœterò Strabonis verba in meis ad Fazellum Notis relata sunt: *Alæsum opidum Mandusiorum, quod in excelso situm loco, muribus & duobus cingitur fluminibus*; non incongruè de colle, ubi opidi reliquiæ jacent, dicta accipiuntur, hic enim Nebrodes montes, amnesque Himeram, & *Pilectum*, sive *Monalim* utrinque habet. Cluverius de Paropo cogitat antiquo

 opido,

opido, cujus meminit Polybius lib: 1. Atenim Historici textus Cluverio adversatur, uti adverti, & Paropum inter Thermas Himerenses, & Panormum locare videtur; quum *Colesanum* pass. M. XII. ultra Thermas sedeat. Non desunt denique, qui prostratum in eo colle opidum; ex Himeræ reliquiis a Pęnis excisæ ortum duxisse tradunt.

Quod extat hodie, Sarracenorum creditur opus, a Rogerio Comite MLXIII. cum arce expugnatum, atque in prædam suis traditum; Hinc *Bayharina* regio Sarracenici est nominis, & S. Nicolai vetus Ecclesia perseverat, quæ intra arcem, prima olim in opido, Sarracenis ejectis ab eodem Comite fuit ædificata. Aliam deinde *Adelasia* Rogerii neptis *Colesani* domina Deiparæ Assumptionis nomine molita, principem illi locum attribuit. Nova demum magnificentissimè extructa, Apostolorum Principibus dicata, supra reliquas opidi primatum obtinuit. Turris campani æris antiquissima, olim ad opidanorum munimentum, inscriptum lapidem supra fenestram habet: *Me fecit Anno Domini* 1060. Et si nota in annorum numero satis clarè non eluceat, uti pręsens adverti, & fortasse II. sæculum supra M. exprimat, quod alibi notavi. Scala porro ejusdem Basilicæ in occasum æstivum respiciens, ab anno MCCCCLXXXVIII. publico ære extructa, ad omnem magnificentiam pluribus assurgit gradibus, & miratu omnino digna reputatur; loco enim editiori sacra ędes sedet, estque prima parochialis ac ab Episcopo Tiburiensi Mariano Manno consecrata anno MDXLVIII. perhibetur, necnon Sanctorum Martyrum Hyacinthi, Marci, & Basillæ corporibus decoratur. Parochialis altera, S. Maria vetus, ab Adelasia uti dixi, excitata, bonisque aucta, ab Episcopo Squillacensi Drogone

gone MCXL. ſacro de more linita oleo, elegans Deiparæ e marmore ſimulacrum, in ſumma religione ab incolis habitum, ſervat. Utriuſque Parochiæ Cephalædenſis Epiſcopi Vicarius curam gerit, & Presbyteros, qui ſacra adminiſtrant, deſignat; ſed in majori communis XXXIV. Sacerdotum conventus divinis intendit officiis, cui ex minoribus Eccleſiis VIII. famulantur.

Vetuſtiſſima Monachorum S. Benedicti Monaſteria duo ad *Coleſanum* ſpectabant: S. Mariæ de *Pedaly* ſcilicet ad paſſ. M. ab opido cum Abbatiæ inſignibus; & S. Mariæ de *Burgitabus* titulo Prioratus ad III. lapidem diſſitum. Illud *Adelaſiam* Comitiſſam ſępius laudatam MCXXX cognoſcit authorem, eſtque hodie Sæcularibus Clericis commendatum ex præſentatione Comitis; aliud deſertum quoque ab anno MDLV. Regię eſt Collationis, & in Comitiis locum tenet. Minores Conventuales memorat Pirrus, a *Giliberto Centelles* Comite anno MCCCCLI. in edito loco, contra occidentem conſtitutos, quorum hodie Eccleſia S. Jacobo Apoſtolo ſacra, Petri de Cardona tumulo illuſtris, cum Monachorum ædibus ſolum ſupereſt; hi enim elapſi ſæculi anno LXII. receſſerunt. Ab hoc tamen S. Franciſci Conventu una ex opidi regionibus nomen habet. S. Dominici familia ſub Annunciatę Novę dudum titulo anno MDXX. coaluit; mox ſub S. Roſarii, Suſannæ Gonſagæ Comitiſſæ divitiis MDLIII. circa hibernum occaſum ſtatuitur. Minoribus Reformatis ad CCC. paſſ. in auſtrum locus MDCXIV. eſt deſignatus, S. Mariæ de Jeſu auſpiciis, qui ſplendet hodie ob diſtrictiorem inſtituti cuſtodiam, in provincia *Receſſus* nomine idcirco diſtinctus. Capuccinos, ubi dudum Carmelitæ degebant, exceptos primum, in S. Mariæ de Miraculis ſubinde MDCIII. tranſlatos opidani quamaximè fovent,

ob Deiparæ imaginem *Colesani* singularis Patronæ, cujus festum ingenti pompa XXVII. Aprilis illi celebrant. Moniales denique conspicuo situ in aquilonem, sub S. Benedicti regula, claustrum habent, Joannis de Jorno munificentia ab anno MDXXX. quæ in S. Rocchi primò, mox in S. Catharinæ honorem Ecclesia ædificata, splendidè degunt. Ab S. Catharina porro regio aquilonaris denominatur. Mons Pietatis, & Domus Hospitalis Pirro celebrantur, sed in novissimo censu horum mentio est nulla; viget autem S. Mariæ Collegium pro sequiori sexu paucis ab hinc MDCCXL. fundatum.

Arx olim spectatu digna, in qua dynastę amplum palatium circa ortum subrigitur, hodie vix usui dignoscitur esse, ab anno præsertim MDCXCIII. quo ex terræmotu quassata. Eam Comites præsentia dudum illustrarunt, aulis, & conclavibus concinnatam voluere; ortuque suo Petrus Aragona Dux Montisalti MDXXVII. & Aloysius Guillelmus Moncada Siciliæ Prorex, & S.R.E. Cardinalis MDCXIV. condecorarunt. Sub illis frequentissimum opidum perhibent, adeout XV. M. opidanorum numeraret; At in Caroli V. censu focos 828. incolasque sub sæculi finem 3706. exhibuit; sequentis anno LII. cives erant 3658. novissimè MDCCXIII. lares 686. cives 2087. descripti sunt. His dirigendis pro dynasta, jus gladii habente, & in Comitiis locum III. inter Comites occupante, Gubernator adligitur, qui cùm Magistratu juxta Regni leges jura dat. Est *Colesani* aer sanissimus; unde *Collis Sanus* nonnullis dicitur. Ager verò longè, ac latè patens fœcundissimus, Cereri, & Baccho gratus, frugum scilicet ferax, & generosum vinum, præ cœteris Calabrense, uti appellant, & Moscatum abundè præbens, venationi aptus,

pascuis

pascuis copiosis rem pecuariam augens, nemorosis saltibus, oletis denique refertus. Jaspidis in eo, & Porphyretis lapidicinæ occurrunt frequentissimæ, adeout his constratæ viæ undique videantur, & ruri repacula passim compacta agellos obsepiant.

Colesanenses S. Christopharum Ordinis S. Basilii Abbatem, S. Sabbam Agyrensis Monasterii præpositum, Juniorem appellatum, & S. Macharium Sabbæ germanum fratrem Calendaria Basilientia enunciant, & S. Christophari exuvias apud Troynenses asservari tradunt. Floruere sæculo x. Postremis temporibus Andreas Mastrillus, patre Mario Mastrillo opidi Moderatore natus, Messanensis fuit Archiepiscopus; Aloysius Amatus Regiæ Capellæ Panormitanæ Cantor, S. Andreę de Platia Prior, & Episcopus Agrigentinus MDLXX. electus *Colesanum* patriam agnoscit. Item Henricus Cicerus S. Marię de *Pedaly* Abbas; Michael Sincerus S. Marię de Nemore Olivetani ordinis Abbas effulsit. Inter Scriptores Siculos a Mongitore in Bibliot: recensentur: Illuminatus Oddo Capuccinus doctrina excultissimus, Philosophus, & Theologus eximius, religiosis moribus vel maximè ornatus, ac Deiparæ Virgini pręcipuo cultu addictus, cujus alloquio morti proximus, uti tradunt, frui meruit; Jacobus Amatus Juris-Consultus, & non vulgaris poeta; edidit de Vita, & Martyrio S. Christinę eruditum poema; Joannes Rusticus Medicus, & Botanicus illustris; Josephus Seminara Minor Reformatus apud suos insignis, moribus, dexteritate, ac scientia. Hinc pro Rege Catholico ad Loca Sancta Jerosolymorum ejusdem Orator missus, omnia ad votum obtinuit; Totius Ordinis Comitiis in Hispania coactis Vicarius præfuit; Provinciam denique suam rexit; De eo Tognoletus &

Mon-

Mongitore. Martinus Motta musicis peritissimus, & Pontificiæ Capellæ sub Inoocentio X. & Alexandro VII. Moderator.

Rogerii Comitis dono, an *Ranulpho Maniacio* Montis Caveosi domino, Mathildis ejusdem Comitis filiæ marito, *Colesanum* cesserit, subdubitant Eruditi. *Adelasia* enim ex illis progenita MCXX. cum Adrano *Colesanum* in clientelam habebat, uti supra auditum; quæ quidem opida, quamvis a Rogerio Rege gratiosè illa accepisset, quum Raynaldo data esset uxor, facile nihilominus est suspicari; quod ad parentum jura revocare eam quoque Rex avunculus tunc voluerit; *Ranulphum* enim sororium, quod sibi infestum habuerit, bonis omnibus Rogerius spoliaverat. *Adam* ex *Adelasia* & Raynaldo prodiit, cui idem Rogerius filiam suam despondit; sed horum proles nulla extitit, uti ex Annalium silentio colligitur. Ad Regias idcirco manus quum *Colesanum* devenisset, *Paulo Cicalæ* Januensi Fridericus Cæsar illud concessit, qui Regni Comestabulus MCCV. aliisque primariis muniis est functus; ac Spei Muscæ Riccardi filiæ copulatus, *Guillelmum Cicalam* tulit anno MCCLXII. Messanæ Strategum, gentis nobilissimæ ea in urbe progenitorem. Sub Gallis, primisque Aragonensium temporibus, quisnam beneficiario titulo *Colesanum* possederit, omnino obscurum. Anno MCCCV. *Francisco* I. Hieracii domino, ex præclara Vigintimillia gente, titulo Comitatus obvenit, Friderici Regis munificentia, qui quum Petri, hujus filii indignationem incurrisset, *Colesanum* cum aliis dynastiis, ac vitam tandem amisit. *Damianum Palitium* idcirco anno MCCCXL. Assori, & *Colesani* dominum invenio, qui & Regius major Capellanus, Panormi Cantor, ac Regni Cancellarius effulsit: Eo e Sicilia

cilia exacto, *Vigintimilliis* rursus opidum cessit, ac *Franciscus* hujus nominis II. Friderici III. liberalitate *Colesani* Comes est renunciatus. Hic *Antonio* filio, quem ex Isabella Lauria secundo loco susceperat, reliquit, addiditque Petraliç utriusque, Belicis, Caroniç & Isnelli dominatus. Multa *Antonius* a Martino Rege assecutus est beneficia; verum ab eo desciens, in Melitensi demum arce captivus, ibi ad Ferdinandi I. Regnum detentus vixit, quo sanè tempore *Henricus Rubeus Colesanum* tenuit, & in censu Martini Regis pro eo ac aliis Curię obnoxius recensetur. Liber *Antonius* effectus anno MCCCCXV. *Franciscum*, cum Margarita Peralta progenitum, sibi parum obsequentem, morti jam proximus, hæreditate expoliavit; in Comitatus successione *Constantia*, quam ex Alvira Moncada secunda uxore filiam habuit, testamentariis tabulis vocata. Hæc tot bonorum domina, a compluribus expetita, *Giliberto Centelles* demum, Nobilissimo Valentiano sacris adjuncta vinculis, hunc *Colesani* Comitem dixit. At *Franciscus* jura sua armis interim tuebatur, atque opida occupabat, quæ a Regiis militibus non diu expugnata, & *Constantiæ* fuerunt restituta. Legibus mox *Franciscus* contendit, sed caussa tunc excidit, quam ejus successores variis sub dominiis resumere conati, *Colesanenses* Comites appellari voluerunt.

Jam *Gilibertum* variis supremis muniis, & Siciliæ etiam Præfectura MCCCCXL. laudabiliter functum, *Antonius* filius excepit Cotronensis Marchio, militia ac rebus in ea præclarè gestis notissimus; qui Alphonso Regi infestus subinde evadens, uti in Annalibus dictum, dynastias amisit. *Petrus* hinc *Cerdona* Siciliæ Magister Justitiarius ob insignia merita in eumdem

Prin-

Principem, *Colesani* opido ac arce donatur, cui filius *Artalis* Padulæ Marchio successit, unde *Petrus*, & *Antonius*. Hic Regni *Siciliæ* Cancellarius, & Talassiarcha claruit. *Petrus* anno MCCCCLXXVIII. possessionem iniit, qui inter Magnates Hispanos, & Aurei Velleris equites adscriptus, Siculorum ad Ferdinandum Catholicum legatus, Regni Comestabulus, & Amiratus, summa per insulam universam authoritate valuit. Reliquit post se *Artalem*, qui florenti ætate defecit, & *Antoniam*. Hæc *Antonio Aragonæ* nupta Montis Alti Duce, *Petri Aragonæ* mater effecta est, & *Antonii*, qui fratris sine prole decedentis, in ampla bonorum hæreditate successor, militari virtute insignis, aliisque titulis celebris effulsit. Mariæ de Cerda copulatus, unicam prolem *Mariam* tulit, *Francisco Moncadæ* Paternionis domino in uxorem assignatam, Quorum alibi successores percenseo.

Opidi demum latitudo est grad. XXXVII. XL. longitudo XXXVIII. Comarchia Cephalædensi concluditur, & indigenæ Militiæ vexillum servat, mereturque sub Thermitano Instructore, cui equites IV. pedites LXX. suppeditabat. Stemma *Senem* exhibet lauro coronatum, colli insidentem; sub pedibus vas, unde aquæ effluunt, dextera Carduum tenet, sinistra librum.

COMITISSÆ Municipium Messanense ad austrum in *Dromo*, seu publica ampla via, quam sępius memoravi. Nomen a tribus Messanensibus Matronis Violanta Palicia, Eleonora Procida, & Beatrice Belliflora, accepit, quę ut Divinis rebus liberius vacarent, urbe relicta, post Conjuges mortuos, qui Comites *Siculi* erant, ibi domicilium statuerunt, sanctisque operibus intentæ ad obitum usque vixere. Ecclesia parochialis Deiparę Conceptionis titulo gaudet, & turrim æris cam-

campani oſtentat. Alio vocabulo pagus *Caliſpera* appellatur, Græcanica voce, uti Samperius tradit. Tabula in Eccleſia Beatæ Virginis antiquiſſima, populis in ſumma eſt veneratione, quam Græcos nautas ibi reliquiſſe tradunt.

CONDRONUM Opidum, vulgo *Condrò*, Principatus titulo clarum, in tumulo, & valle ad hibernum occaſum ſitum, ſupra Nuciti fluminis lęvas ripas; cujus Parochiale templum Beatæ Mariæ de Tyndaride ſacrum, in Meſſanenſi Parochia ſub Sacerdotis cura, minores Eccleſias v. ſuffragantes habet. S. Franciſci de Paula fratres elatiori loco ibi degunt, quos ab anno MDCL. ſub ejuſdem S. Patriarchę auſpiciis dynaſta conſtituit. Ortum opidum recognoſcit ſęculo XIV. hinc ſequentis anno VIII. in cenſu Martini Regis *Iſoldæ Scaliſiæ* juris eſſe dicitur, a qua ad *Nicolaum Caſtaneam*, ejuſque hæredes *Polichinos* devenit. Anno MCCCCXXI. Alphonſi Regis beneficio *Joannes Bonfilius* Miles *Condronum*, quod ad ſuos olim ſpectabat, accepit, cui filius *Petrus* ſucceſſit; huic *Philippus*, unde *Bernardus*; Ex cujus ſucceſſoribus rectà ſæculi XVII. anno XXXVII. *Franciſcus* originem duxit, a Philippo IV. *Condronis* Princeps appellatus. Duxit hic in uxorem Antoniam Moncadam, tulitque ex ea filium *Paulum Bonfilium*, qui a Regijs rationibus Magiſter claruit. Ei, & Juliæ Sanctæcolumbæ *Franciſcus*, primus Leonis Vagi Marchio natus eſt, qui cum Cornelia Lancea *Petrum* progenuit, ultimum gentis *Bonfiliæ Condronis* Principem; ex Eleonora enim de Puteo & Cirino, quum *Paulum* accepiſſet & *Fælicem*, ac ille Vincentiæ Natoli, & Ruffo matrimonio conjunctus, nulla ſuſcepta prole, aliquando vixiſſet, ex peſtilenti lue MDCCXLIII. uterque ſublatus, mundo exceſſit. *Fælix*

hæres relicta, quod Virgo esset, *Friderico de Neapoli & Monteaperto* sacris unita vinculis, huic *Condronis* dynastiam ex dote attulit. Gaudet jure gladii; in publico Regni Concilio votum profert xxxv. & Magistratus designat. Sub Carolo V. *Condronis* erant lares 300. animæ 845. Anno MDCLII. foci 267. animę 813. Decurrenti sæculo lares 238. incolæ 694. & novissimè 847. Clauditur Mylensi Comarchia, & Pactarum Instructori subditur. Longitudinis gradus est xxxix x. latitudinis xxxviii. xv.

COPRIA Latinis *Sterquilinium*, littus nempe Tauromenitanum in aquilonem, ortumque ęstivum, circa quod emergere, quidquid Freti Messanensis turbine abreptum est, videtur. Strabo lib. 6. *Monstratur & Charybdis paullo ante urbem in freto, profunditas quædam prodigiosa, in quam freti æstus ob naturam loci facile abripiunt navigia inversa .... quorum absorptorum, & dissolutorum fragmenta ad littus devolvuntur Tauromenitani agri, quod ab hoc argumento Copria, idest Sterquilinium vocatur*. Habet eadem Fazellus. Id littus Messanâ dissidet pass. M. XXX.

CORVUS Vicus ad Maniacis olim opidum spectans, hodie in Brontis ditione, ejus est mentio anno MCLXXVIII.

CRASTUS Vetustissimum Opidum Fazello prope Alcaram locatur, aliis ad Castrum Regale. Atenim hos omnes hallucinari alibi Tom. 2. ostendi. *Crastus* enim in Sicania stetit, in occidua scilicet Sicilię plaga, uti Scriptores clarissimè loquuntur.

CREMASTRUM Casale, Margariti de Brundusio, Melitæ Comitis munificentia Monasterio S. Salvatoris de Messana, & Leontio ejus Archimandritæ MCXCIII. attributum. Situs ejus erat in agro Mascalensi, juxta Calatabianum. CRI-

CRISTIA Casale olim ad Hieracii Comitis ditionem spectans, cujus est in Friderici II. Regesto memoria anno circiter MCCCXX. *Franciscus* enim *Vigintimillius* ibi Curiæ obnoxius dicitur pro Comitatu Sperlingæ, *Cristiæ*, & Pitinei. Excisum posthac creditur, ejusque incolas Castellum Bonum traductos affirmant.

CUBISIA ex Acensibus vicis ad occasum supra S. Luciam.

CUMIA Duplex est Messanę Municipium, occurritque in Regia via ad austrum pass. M. circiter VI. ab eadem urbe sejunctum, quorum unum in collis jugo, alterum in planitie. Superioris Parochia Deiparæ Annunciatæ sacra; Inferioris S. Marinæ Virginis nomini dicatur. Sunt ejus foci 77. animæ 406. ac Messanensis Senatus fasces recognoscunt.

CURCURACIUM Septentrionem versus in collibus Peloritanis IV. pass. M. Messanâ abest, & ex municipiis recensetur. Parochialis ædes Deiparæ de Blanchis addicitur, numeratque lares 44. incolas 412. Cujus est ditionis vicus *Pacis* maritimus

CUTODUM vulgo *Cutò*, Nemus, & ager in finibus Randatii, ab *Joanne* Infante *Conrado de Procida* concessum MCCCXLIV. *Spatafòris* subinde, & *Platamoniis* ex dote cessit. *Julia Aloysii Platamonii* filia *Alexandri Filingerii* uxor *Hieronymo* ex se nato attribuit, unde Alexander hodie *Cutodis* Princeps. Hunc enim titulum MDCXLI. *Franciscus Platamone* Regis privilegio tulit.

CYAMASORUS Fluvius Polybio memoratus, de quo Tom: I. *Salsus* dicitur hodie, & *Rahalbutanus*. Fontes habet supra Nicosiam ad austrum, a qua non longè Salis Minera illius aquæ inficiuntur, unde

Salsus appellatur. Bonalbergi hinc agros, ubi Turris cjusdem nominis, abluens, vetus *Trappetum* ad Nissoriç feudum spectans, & Serlonis subinde petram, de *Sarno* vulgo, circumperfundit. Sub Agyrio mox in aquilonem decurrit, & aquas a Ceramis fluvio delatas, & a Galeano, aliisque locis labentes excipit; unde & Salsedinem deponit. Fœcundat ad eamdem plagam Rahalbuti fines, & ab eo nomen accipit; hinc ad orientem Centuripinas perlambit terras. Tandemque prope trajectum, & scapham Adranensem in Symæthi dexteram illabitur, nomenque amittit.

CYCLOPUM Scopuli. Consule *Scopuli*.



DE-



EMANA, *Demenna* aliter, opidum hodie excifum, ac folo vocabulo cognitum, a quo denominatam Sarracenorum ævo noftram hanc vallem dixi. Memoratur in S. Lucæ Carbonenfis Abbatis vita apud Cajetanum, qui in eo ortum habuiffe traditur. In Rogerii Comitis diplomate, fines Meffanenfis Parochiæ defcribentis an: MXC. lego: *Vadit ufque ad Milatium, & refpondet ad Demennam*. Et paullo poft: *Dedi quoque apud Demennam Caftellum Alcariæ cum tenimentis fuis*; ex quibus non longè ab Alcaria ftetiffe *Demennam* eruo. Hugo Meffanæ Pontifex in fuis literis de anno MCXXXI. Ecclefias enumerans Archimandritę conceffas, *S. Barbarum de Demenna* illis accenfet: cujus etiam meminit Rogerius Rex in Charta, qua Archimandritatus jura, & bona cum in Sicilia, tum in Calabria illi attributa, anno MCXXXIV. confirmat: *In Diœcefi Meffanenfi cum pertinentiis fuis S.Stephanus.... S.Barbarus de Demenna*. Mox de Monafteriis agens Archimandritæ eidem fubjectis inter ea *S. Philippum de Demenna* IX. loco ponit. Hinc Alexander III.Rom. Pont. Honuphrii Archimandritæ, & Guillelmi Regis precibus, fub Apoftolica protectione Monafterium Archimandritale SS. Salvatoris de Meffana, ejufque *Poffeffiones*, *Obedientias, & Abbatias* fufcipiens, *S. Barbari de Demenna* Ecclefiam recenfet, Anagniæ XII. Kal: Novembris Ind. IX. Anno Incar. Domini MCLXXV. *Terminatio*, ait laudatus Rogerius Rex *S. Barbari de Demenna eft, ficut afcendit rivus ipfius Ecclefiæ & dat fupra montem Ardeam, &c.* Cœterò S. Barbari Ecclefiæ rudera ea creduntur, quæ in Alcariæ agro

prope

prope S. Georgium ſpectantur. Ibi fons S. Barbari adhuc nomine inſignitur, & circumpoſitæ terræ a S. Barbaro etiam dicuntur. S. Philippi demum de *Demenna* hodie de Fragalà appellatum affirmant.

DIANÆ FASCELLINÆ Templum, & Opidulum. Conſule *Artemiſium*.

DIDYME Inſula ex Æoliis una, veteribus omnibus celebrata, quæ nunc *Salinis* appellatur, ſejuncta millibus IV. in æſtivi ſolis occaſum a Lipara jacet, habetque in circuitu paſſ. M. XII. Strabo lib. VI. *Quarta eſt Didyme, & ipſa a figura ſic dicta*, Latine *Gemella*; eſt quippe in duas rupes, ſeu colles diſtincta. Incendiorum porro monumenta in ea exhibent quoque fauces, ſive crateræ, quæ adhuc extant. Cœterum vitium, cœterarumque domeſticarum arborum, ac frugum eſt feraciſſima, uti Cluverius deſcribit. Vinum hinc præcipuum, ac divitum menſis adhibitum progignit; paſſas uvas dulciores, majoreſque, necnon & minimas, quarum incolis eſt ingens quæſtus, per varias Europæ regiones navibus comportatas, producit; alumen denique rupeum fert probatiſſimum. Nec ſolum aquis eſt indigum, quamvis ſint illæ parum ſalubres. Humiles caſæ colonis frequentes, autumnali præſertim tempore ſparſim occurrunt cum rurali Eccleſia, Deiparæ ſacra de *Terzito* appellata. Refert Pirrus ex vetuſtis monumentis ſalutis anno DCC. N. Epiſcopum Liparenſem, patria Leontinum die III. poſt natalem Domini templum id conſecraſſe, Virginis verò imaginem tunc temporis ibi Divino afflante Numine fuiſſe repertam.

DINNAMARIS Mons ſupra Meſſanam in auſtrum. Vide *Bimaris*.

DIONYSIUS Flumen. Vide *Fluvius Dionyſii*.

DI-

DIVETUM Turris specula est inter Rayscul-mum promontorium, & Mylas circa aquilonem. Prope sub collibus Peloritanis, vectigalibus exigendis deputati custodes milites habitant, ad fraudes cohibendas & locus etiam *Divetum* appellatur. *Dimethum* vetus opidum memorat Ptolemæus, cujus esse vestigium *Diveti* Turrim Aretius affirmat. Cluverius verò apud Geographum irrepsisse errorem scribit, ac pro *Dimetho* reponendum putat *Symæthum*. Hophmanno Turris *Diveti* veteribus *Naulochus* dicebatur; eodem nempe loco, ubi Turris, *Naulochum* stetisse ille putat. Sed enim navium commodam stationem ad *Divetum* esse nullam constat; *Naulochus* enim Latine *Navium Statio*. Alibi idcirco ad Malpuriti ostium locandus.

S. DOMINICA Phari Opidi vicus est a littore haud procul cum Parochia cognomine. Vide *Pharus*.


S. DOMINICA in Agro Randatii vicus cum Ecclesia eidem Divę sacra, Roccellę Parochię suffraganea.

DROMUS Via Regia suburbanis Messanensium domibus, & municipiis in austrum vergentibus instructa. Horum sunt nomina S. Clemens, Gazis, Comitissa, Pistunera, Trimosterium; de quibus singillatim propriis locis fit mentio, habentque singula parochiales Ecclesias, ærisque campani turres conspicuas.

DONNA ALTA Fons Himeræ Meridionalis ad Nebrodem montem, de quo Fazellus.



EN-



NGIUM Opidum vetus, *Engyion* Stephano, Plutarcho, & aliis, Latinè *Enguium*, uti Cluverius advertit, Diodoro, Ciceroni, Plinio, Ptolemæo, & Silio etiam memoratum. Situm indicat Cluverius laudatus: *Ad initium Maronis montis, qua is Hæreis circa Alæsi fontem jungitur jugis*. Fazellus enim perperam scribit: *A Teria fluvio non longe aberat Engyum urbs vetustissima, quæ sive maritima, vel eo in loco, qui prius Ongia nunc Lognina, & a Veteribus Portus Ulissis dicitur, vel eo qui Igniuni vocatur, Leontino hodie frumenti Emporio, ut & authoritate Plutarchi conjiciunt plerique; sive Mediterranea, centum ab Agyra stadiis distans, ut lib.* v. *Diodorus referre videtur, fuerit, a Cretensibus fuit condita.* Erravit & Maurolycus duas urbes ejusdem nominis afferens, mediterraneam unam, alteram maritimam. Una enim extitit ab *Engio novo*, seu *Gangio*, de quo infra, pass. MD. circiter sejuncta, ubi hodie S. Mariæ Casinensis Congregationis Monasterium surgit, ab *Engyo* Vetere appellatum. Sed Plutarchi, & Diodori verba expendam, ex quibus, an Fazelli conjecturæ veræ sint, judicium feratur. Diodorus itaque non v. sed lib. IV. Cretenses inducens, cum Minoe eorum Rege, Dædalum insectante, in Siciliam delatos, occiso per dolum Minoe, quum invicem diffiderent, alios Heracleam Minoam in littore Agrigentino exædificasse affirmat. *Pars*, subdit, *mediterraneis peragratis, munitum nacti locum, opidum condiderunt, cui a scaturiente in eo fonte Engyum nomen imposuerunt*. En quam disertè *Engyum* in-

me-

mediterraneis conditum fuisse ait. Prosequitur inde: *Sub Trojæ excidium Merionem in Siciliam cum Cretensibus appulsum, quod gentiles essent*, Engyini, *in civitatis communionem susceperunt. Quum verò ex urbe munita eruptiones facerent, & quædam finitimorum loca subigerent, satis amplam sibi terræ ditionem compararunt; ac subinde magis magisque amplificati opibus, templum Matribus ædificarunt, exquisitoque venerationis cultu, & donariis Deas hasce prosequuti sunt. Eas verò ex Creta translatas huc perhibent.* Ubinam in hoc textu, *Agyram* urbem stadiis c. dissitam historicus memoret, non dispicio, quave Latina Diodori lectione Fazellus sit usus optimè miratur Cluverius; nisi fortè *Ochyran polin* Græca vocabula, idest, si latinè legas, *munitam urbem*, imperitus interpres proprio nomine *Ochyram urbem* intellexerit, uti idem Cluverius advertit; Fazellus verò *Agyram* induxerit.

Jam Plutarchus in Marcello hæc habet: *Opidum est Siciliæ Engyium non sanè amplum, sed pervetustum, & Dearum, quas Matres vocant, præsentia nobile; Templum hoc a Cretensibus ædificatum fertur, ostendebanturque hastæ quædam, & galeæ æneæ cum inscriptionibus partim Merionis, partim Ulyssis, qui eas Deabus consecraverant.* Quæ hic porro *Matres Deæ* Diodoro, & Plutarcho appellantur, *Magna Mater* dicitur Ciceroni in Verr: III. *Magnæ Matris*, inquit, *fanum apud Enguinos est. In hoc fano loricas, galeasque æneas, celatas opere Corinthio, hydriasque grandes simili genere, atque arte perfectas idem ille P. Scipio posuerat, & suum nomen inscripserat.* Et Verr. V. *Mater Idea* vocatur: *Te sanctissima*, ait, *Mater Idea, quam apud Enguinos augustissimo, & religiosissimo in templo, sic spoliatam reliquit Verres, ut*

nunc nomen modo Africani, & vestigia violatæ religionis maneant, monumenta victoriæ, fanique ornamenta non extent. Ubi ad P. Scipionis Africani victoriam bello Punico II. Carthaginiensibus debellatis, alludit Orator. Scipio enim bello confecto, Carthagineque capta, Siculis omnibus, quæ Pœni olim extulerant, restituenda curavit. De *Engyi* porro fortuna Diodorus lib: 16. tradit: *Timoleon Engyum urbem Leptinæ tyrannide pressam aggressus, continuis eam oppugnationibus fatigabat; omnes in id nervos intendens, uti expulso tyranno Engyinis libertatem redderet. Leptinem itaque terrore ad deditionem perculsum, data incolumitatis fide, in Peloponnesum misit; Et quia Leptinæ dominatum Apollonienses etiam tulerant, Apolloniam simul in fidem recepit; & cum his, quam Engyinis jus suum, ac leges reddidit*. Ecce Apolloniam *Engyio* veluti proximam affirmat. Apollonia autem ad oram aquilonarem, ubi & *Engyum*. Quid quod Tullius Verr: III. *Euguinam* civitatem cum finitimis conjungit: Tyndaro, Cephalædio, Haluntio, Apollonia, Capitio? Silius denique lib. 14. *Engyum* Romanis, Syracusas obsidentibus fœderibus junctum canit: *Romana petivit Fœdera Callipolis, lapidosique Engyon arctus*.

Extant cœterò sub laudato Benedictino Monasterio S. Mariæ complura vetustatis monumenta; occurrunt ibi numismata, lucernę, lateres; nec inde procul sepulchra. Extat fons in ipsis Monasterii septis, unde caput unum egerit Meridionalis Himera, a quo *Engyum* denominatum Diodorus voluit. Quod vero attinet ad *Engyi* veteris Monasterium, illud medio circiter sæculo XIV. originem habuit, prope Annunciatæ Ecclesiam, quæ *Engyi* veteris, post Sarra-

cenos

cenos Parochia erat, ac ruinis opidi fupererat. Ex quo Monachi aeris infalubritatem cauffantes anno MDCLII. receffere, & Caftellum Bonum migrantes, novum ibi fub ejufdem Deiparæ Annunciatæ aufpiciis cœnobium condiderunt, ubi hodie Abbas degit, locum in Comitiis habens cum aliis Cafinenfibus. Perftitit enim *Engyum* eo in loco ad Friderici II. ætatem, qui funditus opidum anno MCCXCIX. excifum voluit, quod cum Francifco Hieracii Comite contra illum rebellaffet, uti synchronus Nicolaus Specialis enarrat; quamvis Surita ac Marra everfum *Engyum* dicant ab Henrico Francifci genitore, quod ejus incolæ adverfus Fridericum, & Henricum ipfum conjuraffent. Cives hinc in proximum collem migrantes novum opidum condidere, de quo dicendum.

ENGYUM, Novum Opidum, Principatus hodie titulo clarum, & Valguarneris dynaftis, Affori Comitibus addictum. In editi collis declivi ad meridiem & ortum fefe fpectandum præbet circa Nebrodis, feu Maronis montis auftralia latera; arce infigni, vertici infidente, veluti coronatum, ac tribus turribus ad radices inftructum. Integra perfeverat illa, aulifque & conclavibus decens præftat Principibus domicilium; ex turribus fubrigitur una indeminuta, altera ruinofa; tertia ferè disjecta. Tradunt autem circumftetiffe & alias, quarum veftigia, fubftructionefque videntur. Princeps Ecclefia S. Nicolao Epifcopo dicata, confpicua, & ampla affurgit, in qua ad internum ornatum nihil defideratur. Carmelitæ a fęculo XIV. conftituti, decens cœnobium circa centrum occupant, & a Deipara Ordinis tutelari aufpicia habent. Capuccinis anno MDLXXII. locus ad ima opidi, ubi integra turris, deftinatus, qui congruis ędificiis concinnatur. Clau-

ſtrum Benedictinis Monialibus eſt elegans; Eccleſia S. Petro Apoſtolo ſacra illi adnexa ſplendida. Gyneceum denique SS. Coſmæ, & Damiani nomine nuncupatum, honeſtas mulieres, ac virgines fovet, quæ religioſæ vitæ ſtudiis inhærent. Curam gerit animarum Archipresbyter, qui in Sacerdotum cętu divinis officiis apud principem Eccleſiam intendentium primas habet, & minoribus ſacris ædibus VII. præeſt. Clero Meſſanenſis Archiepiſcopi Vicarius jura dat. Opidanis eſt ſingularis Patronus Divinus Spiritus, cujus, ſacra Pentecoſtes die, feſtum ſummo apparatu celebratur. Eiſdem regendis Criminum Quæſtor, & Jurati cum Syndico ab opidi domino deputantur, qui in Comitiis votum profert XXXII. & gladii poteſtate gaudet.

Computatur *Engyum* in Comarchia Nicoſienſi, & S. Philadelphi Militarem Præfecturam ſequebatur cum equitibus IV. ac peditibus LIII. Ejus ſub Carolo V. cenſus fuit larium 977. & paullo poſt incolarum 3204 Sub annum MDCLII. lares 904. cives 3399. computati, MDCCXIII. foci 1180. incolæ 4008. deſcripti ſunt. Cum Villa Aurea, quæ ad Engyum pertinebat, noviſſimè, 4974. opidanos exhibuit. Teſſera ad Gangem fluvium alludens, eumdem exprimit, Coronam ac Regiam virgam innatantes deferentem. Situs ad gradus longitudinis XXXVII. LV. ac latitudinis XXXVII. XLV. reſpondet. Ager ampliſſimus, ac inter regionis Demanenſis feraces, frugum cujuſque generis longè fœcundus; venatoribus gratiſſimus; arbore, frutice, paſcuis dives, armentis idcirco, & gregibus abunde refertus. Celebratur ex ejus civibus Gajetanus Salernus pingendi arte ſua ætate paucis ſecundus, uti innumera per univerſam Siciliam ejuſdem opera clariſſimè teſtantur. Dicebatur autem ob pedis lęſionem *Engyi Claudus*. In

Sicula

Sicula Bibliotheca Mongitorius Philippum Kersbelium ordinis Carmelitarum commendat, selectissima doctrina apprime cumulatum, Philosophum, ac Theologum egregium, ab ingenita morum comitate omnibus gratum. Scripsit *de Immaculata Deiparæ Conceptione* Tractatum, dum adhuc esset in ephebis, ętatis nempe xix. anno; & alia ingenii monumenta reliquit; laudaturque ab Allatio, Marracio, Morerio, Possevino, Gesnero, Ricciolio, Hofmanno, & aliis. Horum nonnullis Philippus Gandavensis Belga dicitur, sed Siculum & *Gangensem*, seu Engytanum probat Mongitore.

Dynastarum series a *Vigintimilliis* repetenda. His enim *Engyum* vetus paruit, eorumque præcessoribus Hieracii Comitibus, de quibus suo loco fuse dicam. Ricardus enim primus Hieracii Comes *Maduniæ* dominus fuit, sive Nebrodis; Constat autem ad Nebrodis radices spectare *Engyum*, uti ex Cluverio innui. Cœterò *Henricus Vigintimillius* primus *Engyi* dominus apparet, ejusque aut filius, aut Nepos *Franciscus*, sub quo deletum, ac novo situ ędificatum opidum recensui. *Franciscus II.* primi filius supra *Engyi* veteris ruinas S. Marię Benedictinum cœnobium jussit, uti perhibent; ejus certe fundatores egregie juvit. Ad annum MDXXVII. quo Sancetta scribebat, *Vigintimillios Engyi* dominos invenio. Per hæc tempora Engyi partem ad Melitenses Equites devenisse puto, quorum extat memoria in porta ad orientem, quę de Melita dicitur; sed unde habuerint, me nescire fateor. Jam ad *Grasseos* cum Rahal-Joannis castello sæculo XVII. subinde devenit. *Franciscus* hinc *Grasseus* Rahal-Joannis Marchio, Engyi Princeps, Philippi IV. rescripto evasit, qui cum Hieronyma Juffrè nulla

suscepta

susceptа prole Josephi fratris filium *Franciscum* heredem dixit. Huic ex Catharina Grimaldi natus est filius *Joseph*, necnon *Antonia*, quæ fratrem improlem excepit, & *Francisco Valguarneræ* adjuncta, *Josephum* progenuit *Francisci Xaverii*, & *Petri* viventis hodie patrem. Reliquit *Franciscus* unicam *Mariannam*, quam sibi *Petrus* avunculus desponsavit.

ENISIS. Vide *Fluvius Nysæ*, seu *Dionysii* ex Aretio.

ERЕМITARUM Vallis ad Neptunii montis radices, qua hic Messanam respicit. In ea longa, ingensque vorago habetur, terræmotu aperta, & uti vulgo tradunt, sub Christi Domini mortem.

ERICODES Insula, *Ericusa* aliter, Alicusa vulgo ex VII. Æoliis ad grad. XXXVIII. longitudinis, & XXXVIII. XXX. latitudinis, ab altera proxima Phœnicusa, in occasum pass. M. V. a Lipara pass. M. XV. a Siciliæ viciniori continenti Cephalædis pass. M. XX. Deserta est, ac montosa. Nomen autem ab Ericis arbustis, ex Strabone, Stephano, & Isidoro, quarum sylva conferta manet, sortitur. Est Erica frutex myricæ similis, colore, & folio rorismarini, autumno flores emittens, vim habens vesicæ calculos scindendi. Malè S. Isidorus Orig. lib. 14. cap. 16. *Ericodem* ab *Ericusa* distinguit. Hanc & sociam Phœnicudem relictam proximarum insularum pabulo, Plinius lib. 3. cap. 9. affirmat. Scopulos cæterò habet ad ortum, nullamque navibus stationem aperit. Conficit in suo ambitu pass. M. VII.


EUNES ex Neptunii montis jugis unum, Polybio Senes, & Diodoro memoratum; Hujus sunt verba lib. 23. *Quum igitur utrique copias adversus Messanam duxissent, Hiero in Chalcidico monte castra posuit; Carthaginienses verò terrestri exercitu consederunt*

runt in Eunis, quos vocant; Nautico Peloriadem promontorium occuparunt. Eadem habet Polybius, sed *Eunes* vocat *Senes.*

EVONYMOS Insula, vulgariter *Lisca Alba,* Siculo ore *Lisca Bianca,* & aliis *Insula Alba,* inter Strongylem & Siciliam jacet; una ex Æoliis; Falsus idcirco Fazellus *Evonymam* Usticam esse scribens. Minor est ex VII. ambitu pass. M. circiter, a Lipara pass. M. VII. sejuncta, cisternæ veteris, & rusticanæ ædis tantùm vestigia exhibens.



FA



ACELLINUS Amnis juxta Peloridem confinis templo Dianæ ejusdem nominis. Vide *Melas*.

FANUM ADRANI antiquis celebratum cum luco, & canibus, de quo dixi. Vide *Adranum*.

FANUM DIANÆ cognomento Fascellinæ; & Facellinæ; de eo alibi. Consule *Artemisium*.

FARAGLIONES, uti vulgo vocabulum illis est hodie. Scopuli nempe Cyclopum in Acis littore meridiano. Consule *Scopuli Cyclopum*.

FATALIA Castellum, quod Rogerius Comes S. Bartholomæi Liparensi Monasterio anno MXCIV. concessit. Vide *Fitalia*.

FAUCES MYLENSES, Juga montium, ubi angusti transitus inter Messanam, & Mylas; Collis hodie *S.* Rizzi, ascensu dudum difficilis, nunc strato itinere, ut possit rhedis adiri, minus arduus. E veteri *S.*Mariæ de Scala cœnobio circa radices orientales ad Malpuriti fluminis ostium post colles in occasum M. pass. VII. enumerant. De his faucibus loquitur Appianus *Belli Civil.* lib. 5. & a Pompejo occupatas dicit, mox ab Augusto. Peloritanæ etiam appellantur, quod Peloro Promontorio immineant.

FAUCES TAUROMENITANÆ, Angustus etiam transitus circa meridiem; ex quo ad Tauromenium evadunt, qui e Messana, in insulæ australem plagam tendunt. Memorantur Appiano lib. 5. *Bel.Civil.* & a Pompejo insessas Augustus invenit.

FERLITUM Casale ad S. Placidi Monasterium spectans olim, hodie deletum.

FICARRA Opidum a Broli arce haud procul in meridiem, tumulo insidet, quem fluminis Thymeti alveus, Nasi aliter dicti, ab hujus opidi ditione distinquit, & amnis alter in aquilonem ab aliis etiam agris disterminat. Arcem habet vetustam Sarracenorum ævo celebrem, in ortum, & septentriones vergentem, quam novissimè instauratam voluit hodiernus dynasta, cujus est elegans domus, vulgo Palatium, in foro. Major Basilica Deiparæ Annunciatæ sacra, opidi etiam patronæ, super forum assurgit. Virginis est imago e pario marmore, cum Archangelo eximii artificii, & miræ pulchriitudinis ab incolis ob collata beneficia ferventi cultu, & festiva cum nundinis frequentia in proprio Sacello mense Augusto celebrata; SS. & Ineffabilis Trinitas est etiam in veneratione præcipua, uti vetus opidi tutelaris. Inserviunt huic principi Ecclesiæ Archipresbyter, & communis Sacerdotum cętus, cui VI. aliæ filiales subduntur cum sodalitiis. S. Francisci Fratres de Observantia appellati sub titulo S. Mariæ de Jesu ad oram opidi degunt, circa sęculum XVII. fundati; Carmelitæ Deiparæ Virginis nomini Conventum incoluisse ab an: MDCX. dicuntur. Moniales S. Benedicti instituta profitentes, claustrum inhabitant decentissimum majori Ecclesiæ proximum, Hospitalis domus pauperibus fovendis demum aperitur. S. Angeli de *Ficarra*, ordinis S. Basilii hodie Abbatiam, sub titulo Deiparæ de Monte Dei, Hugo Messanensis Antistes olim Archimandritæ concessit. Enumerabat *Ficarra* sub Carolo Cæsare lares 500. ac sub sæculi exitum incolas 1691. Anno MDCLII. lares descripti sunt 680. incolę 2620. Nostra ętate MDCCXIII. videntur in censu cum Brolo 381. foci, cives 1124. qui novissimè 1967. Ad Parochiam Messanensem spectat, hinc Clero

moderando Archiepiscopi Vicarius, & Visitator invigilant. Comarchiæ Pactarum, & Instructoris ejusdem urbis jura opidani cognoscunt, pedites xxx. equites vi. huic suppeditabant. Dynasta Marchionatus titulo gaudet; jus gladii exercet, & primus in Comitiis inter Barones assidet, Magistratusque designat. Respondet situs gradui longitudinis xxxviii. xxx. latitudinis xxxviii. xv. Ager a fertilitate commendatur, sed moros, oleasque præsertim fert; aquisque irriguus quum variis fluentis reddatur, colonorum industriç respondet. Inter *Ficarræ* cives illustris habetur Franciscus Minorita ex Osservantibus, qui totius ordinis in Comitiis Romanis Definitor floruit. De Opidi denique conditu male sentit Aretius, recens illud appellans. Arx enim, uti innui, Sarracenis adscribitur; An: MCXCVIII. in diœcesis Messanensis recensione *Ficarra* memoratur; obnoxium aliunde comarchis sub *S*uevorum regimine habetur.

Guillelmus enim *Amicus* Friderico Cęsari ob bellicam virtutem acceptus, ab eoque ad Soldanum pro pace Legatus missus, *Ficarram* est assecutus, quam sub Conrado amisit. Ejus erat uxor *Machalda Scaletta*, quæ Caroli Andegavensis beneficio mariti jam demortui bona obtinuit, atque *Alaymo de Leontino* secundis nuptiis adjuncta, sub Petro divitiis, & authoritate plurimum valuit; *Alaymus* enim cum primis contra Gallos conjuraverat. *Rogerio Lauriæ* post *Machaldæ* & *Alaymi* casum *Ficarra* cessit; quod autem huic dynastia debebatur, uti *Guillelmi* hæredi, parum procedit; *Lauria* quippe Aragonensis nullam cum *Amico* Suevo aut cognationem, aut affinitatem habere potuit. *Lauria* igitur Regis Jacobi dono, accepit, ac sorori reliquit *Conradi Lanceæ* desponsatæ, Regni Cancellario,

rio, Longis, & Castaniæ domino. Ex his *Perruchius*, unde *Blascus* in Friderici II. Censu Mongelini, Longis, Galatis, & *Ficarræ* Baro renunciatus. Offendit Martini Regis animum *Perruchius II.* & cum *Conrado* filio bonis excidit, quæ *Bartholomæo Aragonio* ab eodem Principe attribuuntur. Sed mox in gratiam ambo recepti sunt MCCCXCIV. *Conradus* hinc post annos XIV. Curiæ obnoxius inter alios Barones recensetur. Hunc excepit *Perruchius* III. Margarithæ de Motyca maritus, cui frater *Valor* successor est datus, unde *Guillelmus Raymundus*. Hic prole destitutus in *Blascum* fratrem quoque jura transtulit; cujus filii & Nepotes ad *Fabritium* usque, recta deducta linea, gentis Lanceæ stipites fulserunt. *Fabritius* porro anno MDCLVI. *Ficarræ* primus Marchio, Philippi IV. rescripto, est appellatus; ex quo *Franciscus* cum Agatha Ansalone sacris adstrictus vinculis. Huic proles non fuit; *Antoninus* idcirco frater titulum meruit, hæresque effectus, *Josephum* genuit, Broli Ducem, *Hieronymi* hodie in vivis agentis patrem. Verum *Ficarra* Petri Neapolis Rahalsuttanæ Principis MDCCXXXVII. fasces recognovit, moxque *Ignatius Vincentius Abbas*, Longarini Marchio, pretio Lanceis exsoluto, sequenti anno illam sibi devinxit,

FINALIS Statio in aquilonari littore a Castello Bono pass. M. VI. sejuncta. Ibi Hieracensis Marchionis, qui est loci dominus, ædes decentissimæ, cum Turri specula in elato scopulo de *Marchione* etiam appellata, & *Pollinæ*, quia ad imas montis radices, cui Pollina insidet, subrigitur. Circa eam opidum extrui cœptum, quod ædificiorum substructiones, & integras aliquot domos, cum designatis rectis viis tantùm ostendit, præque cœteris Benedictini Cœnobii initia.

FINOCHIARII Vicus inter Acim Catenam, & S. Philippum cum Ecclesia, ad hujus spectans parochiam.

FISAULIS Casale in ditione Hieracensi humili loco situm, nunc jacens. Aeris intemperie quum laboraret, Alduinus Hieracii dominus, illius incolas Castellum Bonum tunc ædificari cœptum, opportunè traduxit.

FISICHELLII Vicus cum Ecclesia ad S. Joannis de Punta Parochiam dudum Catanæ Municipium spectans, circa aquilonem.

FITALIA Castellum, cujus alluebat fines amnis cognominis, hodie *Zapulla*. In Messanensis Parochiæ recensione *Fitaliam* anno MCXCVIII. invenio; cujus erat dominus, uti Friderici II. Census refert, anno MCCCXX. circiter *Vitalis Aloysius* de Messana, Capris, & Mirti confinium opidulorum dynasta. Massa Tom. I. inter Orlandi Caput, & S. Marcum bene locatum dicit, atque Sarracenici nominis, & cum *Fatalia* castello, de quo superius, Pactensi Episcopo ab Rogerio Comite concesso confundit. De *Fitaliæ* amne consule *Galatis*, & *Zapulla*.

FLOCCARUM Casale, juris *Francisci Romani* MCCCXX. & Martini Regis ævo *Francisco Lanceæ*, ejusque matri de gente Romea subjectum.

FLORII Vicus ad S. Joannis de Punta opidum pertinet, in meridiem, ubi S. Mariæ de Ravanusa Ecclesia.

FLUMEN DIONYSII, aliter *Nysi*; Opidum ab amne ex ejus finibus profluente appellatum, de quo inferius, cum arce in præcelsa rupe. Sedet in aspero declivi ortum hibernum respiciente, supra fretum, XV. pass. M. Messanâ abjunctum, ad meridiem, cujus

vicus

vicus in subjecto littore ejusdem nominis extat, cum S. Joannis Ecclesia, ubi sacris administrandis navatur opera, & propugnaculo, in Regia occurrens via. Parochialis ædes, Deiparæ Virginis Purificationi sacra, sub Archipresbyteri cura, editiorem locum in opido circa occasum sub arce occupat, & minoribus Ecclesiis x. jura dat. Cum ea tamen, S. Petri Parochialis etiam, de Primatu contendit. Dudum Minores Conventuales, & Carmelitas Fratres fovebat; sed horum hodie Ecclesiæ extant, S. Francisci, & SS. Trinitatis nomine, ipsi vero defecerunt. Haud procul in agro S. Mariæ ordinis Basiliani Abbatia sine alumnis; quam Pirrus ab illa S. Nicandri de Nicone in Rogerii literis de anno MCXLV. memorata non distinquit. In Comarchia, & Militari Tauromenitana Præfectura degunt opidani, ac Diœcesis Messanensis finibus clauduntur, quorum lares sęc: XVI. erant 545. ipsi verò 2366. censi fuere. Anno MDCLII. foci 577. animæ 3112. Decurrente demum sæculo 684. incolæ 2396. ac novissimè 2667. descripti. Præest Clero Archiepiscopi Vicarius; civibus verò ab dynastis delectus Magistratus, cum gladii potestate, & Marchionatus insignibus. Illorum porro subsequens refertur catalogus.

Henricus de Andegavio sub Carolo I. e Galliis in Italiam veniens, quum in celebri illa pugna, qua Manfredus Regnum, vitamque amisit, strenuam operam Regi suo navasset, ejusdem Manfredi filiam in uxorem obtinuit, ac dotis nomine *Flumen Dionysii*, Calatabianum, Noaram, aliaque opida assecutus, nobilissimæ gentis de *Joenio* caput in Sicilia evasit, uti Invegius in Nobil: Proreg: tradit. In Friderici II. censu de MCCCXX. *Rogerius de Vallone*, ad quem Nicosię Salinę etiam spectabant, eidem opido pręesse dicitur; mox

anno

anno MCCCXXXVI. *Iaymus de Villanova* jure uxoris *Beatricis* tenuit; quæ fortè Rogerii filia fuit. Ansalonius de sua *Familia* habuisse sub clientela opidum *Bonsignorem de Ansalone* prodit. Sed anno MCCCXCIII. *Thomas Romano-Columna*, Martini Regis privilegio, quod Messanam urbem in Principis sui manus reddidisset, *Fluminis Dionysii*, Montis Albani, Cattasi, S. Alexii, & aliorum dominus constituitur; Quem *Philippus* filius excepit, in ejusdem Martini Regesto memoratus. Huic *Nicolaus*; unde *Thomas* Messanæ ad Alphonsum Regem MCCCCXLIII. Legatus. Hujus ex filio *Joannello* Nepos *Jacobus* Paulæ Romano-Columnæ ejusdem scilicet gentis, Cesari dominę, & heredi vinculis adjunctus sacris, *Marianum* genuit, quem *Nicolaus* excepit; Hunc verò *Antoninus*, Josephi, & Francisci parens. Fulsit hic Reitani Dux primus, ille *Thoma* filio auctus est *Calogeri Gabrielis Fluminis Dionysii* Marchionis genitore, qui multis titulis commendatus familiæ splendorem provexit, & Cesari etiam Dux est appellatus, uti de hoc opido loquens satius dixi.

In Agro rupibus aspero valles habentur, nobilissimis varii metalli mineris, & officinis nedum recentioribus ad mineras spectantibus, sed & antiquissimis in saxo excisis instructę, unde aurum, argentum, æs, ferrum non levi emolumento lapidibus intermixta operę educunt. Alumen præterea ingenti copia, & porphyrites, lazulusque ibi etiam provenit. Occurrunt porro veteris ætatis monumenta vasa, sepulchra, atque ex ære ad mortalium usum instrumenta, quæ scriptorum conjecturis favere videntur, circa hæc loca antiquissimum Nysæ opidum statuentium. Hinc ab eo potius *Nysi* nomen fluvio, & opido proximo nomen appictum, quod in *Dionysii* posteritas commutavit, uti de *Nysa* inse-

inferius reponam. Vineis cęterò idem ager, oleis, ac moris consitus, ac prope littora fructiferis arboribus refertus ab ubertate commendatur, colonisque non ingratus respondet. Jam de fluvio, quem Aretius *Enisem* appellat. Fazellus hæc habet: *Dionysii fluminis ostium post Aly occurrit, Nysi vulgo dicti, qui, quod inter rapidi torrentis arenas auri ramenta perpetuo fluunt, Chrysoroas apud Græcos dicitur. Oritur hic ex pluribus fontibus, qui e collibus vicinis scaturiunt*. Hæc Fazelli verbis retuli, unde enim de aureis ramentis ac *Chrysoroas* nomine notitias eruerit, non habeo. Fazellum cęterò Carnevalius sequitur, ejusque inhæret sententiæ.

FLUMEN FRIGIDUM Fundum amplissimum vocant prope Onobolam, seu *Cantaram* inter Naxum & Mascalim, ex quo amnis ejusdem nominis originem recognoscit. Fons enim haud procul a Turri copiosis adeo aquis abundat, uti in amplum mox & insigniter gelidum flumen evadat, quod ad pass. circiter M. in proximum illabitur mare. Nec pluviis id porro hyeme augetur, neque æstate decrescit, adeout tranari faciliter possit; Frigiditas verò a nive proximi Montis Ætnæ, ad cujus se ager orientales extendit radices, illi provenit. Veteres sub *Asines* nomine cognominarunt, uti alibi auditum; ad cujus lęvam ripam Veneris stetisse fanum etiam protuli, ubi de *Archageta*. Quod autem ad Turrim attinet satis insignem, Ecclesia huic adhærebat S. Joannis de *Flumine Frigido* appellata. Illam Rogerius Comes Jacobo Mennuges Episcopo, cum terris late circumpositis dono dedit; hic enim a morte sua Jueuo Catanensi Episcopo assignavit, ut ejus literis Græcè scriptis anno Mundi 6611. signatis constat, in Catanensis Ecclesiæ tabu-

tabulario, quam donationem Messanensis Pontifex firmavit an: MCVI. Concessit Laicis, aut aliquis ex Jueni successoribus, aut usurpatum agrum sub Friderico Cęsare cũ aliis ejusdem Ecclesię dilapidatis bonis Episcopi amisere. Hinc anno MCCCCVIII. *Fluminis Frigidi* dominus in Martini Regis Censu *Zaccharias de Parisio* adnotatur, quem filii excepere ad XVI. usque sęculum. *Lazari*, Messanenses Nobiles Baronis titulo elapsis annis, tandemque *Gravina* gens tenuit.

FONS ALÆSINUS memoratur in *Siciliæ Descriptione* Solino cap. 11. *In Alæsina regione*, ait, *fons alius quietus, & tranquillus, quum siletur, si insonant tibiæ, exultabundus ad cantum elevatur, & quasi miretur dulcedinem vocis, ultra margines intumescit*. Id ipsum tradit Dionysii interpres Priscianus, sive Rhemnius. Hujus porro naturæ fons jam desiit, nullibi enim reperitur.

FONS MYLENSIS mirandæ conditionis ex Plinio. Hyeme enim in totum decrescunt, æstate illius aquæ exundant, amnemque producunt. Fazellus juxta locum, quem *Pantanum* appellant, a Mylis pass. M. II. Messanam versus recedentem puteum inveniri ait, ædi S. Mariæ a *Plano*, & a *Buschetto* appellatæ propinquum, qui totus per hymem desiccatur, per æstatem verò abundat.

FONTANA. Vicus est sub Valle Viridi Acis Municipio in austrum, a fonte appellatus, quem mirè eductum Virginis patrocinio tradunt.

FORESTA Opidulum, aliter *Floresta* in Diœcesi Messanensi, novissimę est originis, circa elapsi sęculi initia, ad Ætnæ radices aquilonares, duos inter præcipuos Onobalæ, seu *Cantaræ* fluminis fontes. Ecclesiæ parochialis sub Sacerdote Patronus est S. Georgius

orgius Martyr, lares hoc sæculo primum descripti 66. incolæ 202. & nuperrimè 398. Marchionatus titulo gaudet, quo *Antonius Quintana Duegnas* Proregi a Consiliis Philippi III. privilegio MDCXIX. est decoratus, cui filia *Melchiora* successit, Ferdinandi de Toledo, & Sylva Hispani uxor. A Melchioræ morte, quę *Foresta* accidit, Paulus Arduinus ex filia nepos, Palitii Princeps, inter Magnates Hispaniæ adscriptus MDCLXXV *Forestæ* Marchio dictus, ex Joanna Furnari *Michaelem Arduinum* suscepit, qui Victorii a Sabaudia, & Caroli Regis nostri Aulicus, atque Alcontris Princeps jure uxoris Catharinæ Rocca effulsit. Ex his *Petrus Forestæ* hodie Marchio. Spectat ad Forestam *Trium Fontium* vicus, de quo alibi. Extat *Forestæ* feudum aliud a Zaffarana appellatum in Castri Regalis territorio, Ducatus tessera insigne, ad *Bonannos* pertinens.

FORTIA AGRO', *Fortalitium* olim de *Agrilla*, in editi, ac prærupti collis vertice parumper ad austrum prono, & in occasum protenso situm, supra Argenum promontorium, hodie *S.* Alexii, ex Parochia est Archimandritæ. Celebriori loco medio majus templum Annunciatæ Virgini sacrum, nobili schemate se offert, & Christi Domini e Cruce pendentis opidanorum Patroni ad supremum clivum vetustâ ædes spectatur, ubi olim arx. Archipresbyter, ac Sacerdotes XII. illis famulantur; Festum Patroni summa celebritate, ac nundinis, Exaltationis S. Crucis die, incolæ recolunt. S. Augustini Fratres ab anno MDCVIII. Andrea Francavillense ordinis Magistro authore, SS. Trinitatis Ecclesiæ adhærent. Minores Observantes S. Catharinæ auspiciis aptissimum cęnobium incolunt; Sed dignitate, & tempore SS. Petri, & Pauli Basilianum Monasterium præcellit, quod a Rogerio Comite

in *Scala S. Alexii* extrui cęptum, Rogerius Rex illius filius MCXVII. precibus Gerasimi Abbatis absolvit, ac pingui dote attributa, ipso *Agrillæ*, subinde *Fortiæ* opido donavit. Illius templum pervetustum, ac sacro linitum oleo, variis, ac insignibus *S*anctorum lipsanis ornatum perhibet Pirrus; Abbatem hodie Commendatarium Carolum Villenam de Perlas opidi Baronem, ac dominum, designandi Magistratus, & in Comitiis loco XXIII. assidendi prærogativa munitum, Regia diplomata declarant, apud eumdem Pirrum exscripta.

Criminum Quæstor, vulgo *Capitanus*, a Rege adlectus populo jura dat; Clero Archimandritæ Vicarius; Tauromenitana Comarchia, & Militiæ indigenæ Præfectura *Fortiam* comprehendit, cujus foci Caroli Cæsaris ævo 392. incolæ paullo post 1438. sunt numerati; Sæculi elapsi medio foci 498. opidani 1947. anno MDCCXIII. in laribus 548. incolę computati 2088. nuperrimè 2120. Ager nemoribus, saltibus, pascuis, vineis, cultisque terris scatet, sed oletis potissimùm, ac moris instruitur. Veteris arcis ad ortum, & aquilonem editiori situ vestigia extant, cujus jam memini, ab ea S. Alexii supra promontorium distincta. Latitudo denique opidi graduum XXXVIII. L. longitudo XXXIX. V. designatur.

FRAGALATIS Monasterium Basiliani instituti, quod supra tumulum a Frazano opido pass. DC. circiter sejunctum, Rogerius Comes tutelari suo S. Philippo dicatum voluit, aut juxta nonnullos instauravit; eodem quippe in loco ante Sarracenos sacras pro Monachis ædes extitisse perhibent. Terris hinc circum attributis Gregorio Abbati piissimo viro cum sociis anno MXC. incolendum tradidit, qui illud longe celebre

bre inculpatæ vitæ actibus reddidere. Hugonis Messanensis Episcopi literæ S. Philippi de *Demenna* appellant, a regione scilicet Demanę, in qua situm. Subinde de *Myrtiro* a propinquo opido Myrto est dictum, novissimè a *Fragali* suę ditionis agro, cujus clauditur finibus, nomen accepit. Commendatur hodie Valetudinarii majoris Panormitani Rectoribus. Margarita enim Regina Guillelmi II. uxor anno MCLXXXVIII. illud Maniacensi Benedictino Monasterio unitum voluit; sed suos Basilienses Abbates nihilominus habuit. Ferdinandus demum II. constituto Panormi maximo sub S. Spiritus titulo Xenodochio, ut huic S. Mariæ de Maniacio, & *S. Philippi de Fragali* Abbatias Pontifex adnecteret, impetravit MDIII. Hinc hujus nostri nomine laudati Rectores in publico Regni Consilio loco XXXII. assistunt. Vixit in eo S. Laurentius de Frazano, uti infra dicendum, & Arsenius Monachus, qui Græcum Carmen de S. Vito Mart: panxit a Cajetano exscriptum; hunc porro putant ante Sarracenos effloruisse.

FRANCA VILLA Opidum in Siculis cum veteribus, tum recentioribus annalibus fat celebre, tumulo insidet ad Ætnæ radices in ortum æstivum, cujus supremum verticem rupes occupat cum arce, Aragonensium olim ævo insigni, hodie pene inutili, quamvis fere integra; sub qua ad eamdem plagam, solo leviter prono, cives incolunt; frequentantque potissimùm humiliores, ac planas collis regiones, quæ sub novi opidi nomine idcirco veniunt. Major tamen Ecclesia Deiparæ in cœlum assumptæ sacra, veterem situm servat, ac toti hodie opido dominatur, a qua haud procul amplum, & magnificentissimum, ab aquilone maris aspectu gaudens, dynastæ palatium exurgit. Est illa unica parochialis, Archipresbyterum Re-

ctorem cognoscens, cui & aliarum minorum VIII. cura incumbit; ac Christi Domini Cruci affixi sacello decentissimo decoratur. Hujus est rude quidem simulacrum, sed prodigiis clarum, ideoque festiva celebritatis pompa mense Aprili ab incolis, & propinquis populis cultum. Inter filiales porro insignis, ac vetus Virginis Annunciatæ ædes, sacris etiam administrandis deputatur, in qua S. Barbaræ Vir: & Mar: præcipuæ opidanorum Patronę sollemnis dies festus cum nundinis celebratur, corporis ejus reliquias Monachis proximi Cęnobii de Placa suppeditantibus. Fulget etiam & S. Pauli Ecclesia, unde novi opidi cives Sacramenta percipiunt.

Ad oram post ingressum S. Augustini Eremitę Jacobi Balsami Vice-Comitis opera, MDXCIX. S. Sebastiani Ecclesiam assecuti, commodè degunt, sed dudum illi in nemore ab an: MCCCLXXX. S. Marię de Tyndaro ędem incolebant, uti Ordinis perhibent historię. Carmelitarum cęnobium an: MDCXLII. Petri Ruffi Vice-Comitis munificentia fundatum sub dynastę palatio Deiparę nomine insignitur. Ejusdem sęculi an: LXXIV. Jacobi ex Petro geniti divitiis Sanctimonialium parthenon S. Teresię institutis addictus, contra Annunciatæ subrigitur, & fabricis elegantibus concinnatur. Novissimè Basiliani Monachi suo cum Abbate Regulari, sedem *Francavillæ* statuerunt. Quum vetus enim eorum Monasterium S. Salvatoris de Placa haud procul sitũ in collibus, de quo suo loco, ob non levem ędificiorum jacturam, omnimodam in dies ruinam minaretur, illo relicto, apud nostros comiter excepti, novum claustrum ędificare contendunt. Jam prętentus tumulus circa ortum hibernum, unde patet in opidũ ingressus, Capuccinorum substinet Conventum, ab an: MDLXX. ex collatis eleemosynis conditum, ac institutis ordinis aptissimum, S. Marię de Pręcibus titulum

tulum referentem. Tumulum opido pons magnificus adjungit ab iisdem Capuccinis appellatus, quē sub Philippo IV. instauratum docet inscriptio eidem appicta. Hic collis est nostra ętate notissimus, ubi an: MDCCXIX. Hispanus exercitus Germanorum non semel repetitos impetus repressit, ac subsultus magna fortitudinis laude repulit. Fons e marmore magnificus in S. Pauli foro non omittendus, statuis, figurisque concinnatus, unde copiosi latices emanant; nec Michaelis Cagnonis ingenui viri dissimulanda domus, media urbe metropoli dignissima.

Numerat *Francavilla* in laribus 737. incolas hodie 2827. qui in recensione sub Victorio de Sabaudia 2626. sunt computati; quamvis sub Carolo Cęsare hujus nominis V. foci 544. & non diu post incolę 2265. ac an: MDCLII foci 773. animę 2869. fuerint descriptę. Gaudet ex Caroli II. privilegio MDCLXXVIII. Civitatis titulo. Ejus subjicitur Clerus Messanensi Archiepiscopo; Magistratum dynastę ad annum designant, postremumque post Comites in Regni Consilio votum proferunt, & gladii potestatem exercent. Sub Linguę grossę Comarchia venit, atque indigenę Militię Tauromenitano Instructori, VII. ejus equites, & XLII. pedites parent; Gradum attingit latitudinis XXXVII. L. longitud: XXXVIII. LV. Agro utitur fęcundo, oleis, vitibus, morisque prępicuè consito, oleribus prętere, lino, & pascuis referto, ac frugibus ferendis apto. Dumeta in eo, saltus, quercetaque annosa suinos greges, & armenta affatim nutriunt, ac venationibus inserviunt. Fluvio denique alluitur, qui a *Francavilla* vocabulum assumit, & cum Onobala, seu Calatabiani amne sese adjungit, ac mari illabitur. *Francavillensem* civem memoria dignum cognovimus: Josephum Prescimonem Juris Consultum clarissimum, Poetis pręstantioribus accensēdum, uti ejus opera a Mongitore relata produnt, muniis

deni-

denique, & honoribus auctum, & illustrium Scriptorum elogiis per universam Italiam celebratum. Laudat idem Mongitorius Petrum Paulum Josephi genitorem ab eruditione, morumque elegantia, & pietate; Josephum prȩterea Pittaliam egregium sane virum, poesi, oratoria arte, variisque scientiis imbutum; ac Michaelem Caroccium, nedum vitȩ innocentia, sed sacra, & profana eruditione clarissimum, atque in utraque lege consultissimum; Viris idcirco principibus apprimè charum, cunctisque acceptum. Memorant denique Thomam de Franco Archipresbyterum, qui pro justitia ab impio Clerico, cujus arguerat vitia, occisus piissime obiit. Paulum Sacerdotem Capuccinum patientiæ admirabilis; Elisabetham Costam, ab austerioris vitæ & contemplationis studio claram, & Josephum Russum Carmelitam, doctrina prȩcipuum, sed insigniter humilitatis, ac mansuetudinis tenacem.

De Opidi origine passim tradunt, Northmannorum ȩtatem illud non excessisse; Alii a Gallis Caroli Magni militibus ortum duxisse affirmant, aut nomen invenisse; quum antea extaret, & Camastra diceretur, unde Motta illi propinqua fuit appellata. Stabat Fazello teste, Guillelmi I. ȩvo, sed celebrior sub Aragonensibus evasit, quorum munificentia Rogerii Lauriæ Siciliæ, & Aragoniȩ Architalassi dominium subiit, eique ad Neapolis Reges transeunti adhuc obnoxia perseveravit. Hinc Fridericus II. mox ut Regni regimen suscepit, illam magna vi adortus, e Lauriæ, Gallorumque manibus eripuit. Infans *Joannes* subinde Randatii Marchio accepit, & post hunc *Constantia* filia, quæ *Henrico Statellæ* nupsit, Castaniæ domino, Accursii filio, quem primum Sicilia generis sui caput aspexit. Sub Martino varios habuit dynastas, *Calcerandum* scilicet de *Villanova*, *Joannem*

Joannem Villadecani, & *Philippum Marinum*. In Comitiis nihilominus Syracusanis sub eodem Rege de an: MCCCXCVIII. *Francavilla* inter Regii Demanii opida recensetur, & in Censu ejusdem Principis sequentis sæculi anno VIII. ad Cameram Reginalem spectare dicitur, sub qua ad MDVIII. perstitit, eo enim decurrente *Nicolaum Montapertum*, & *Bartholomæum Romanum Franchævillæ* dominos invenio; Sed restitui ad Demanium cives sequenti anno postularunt, quod ipsis minimè cessit. Emerat Carolo V. Regni potente *Antonius Balsamus* Tauromenium, *quod ad Demanium* revocare Carolus subinde jussit, *Balsamis* verò MDXXXVIII. *Francamvillam* & Vice-Comitis titulum attribuit. Anno MDCVII. rursus in manus Regias *Demanii* restitui cives petierunt, ac diu causa exagitata, Matritum quoque MDCXXXII. deducta, ibi indecisa, Vincentio Cutelli teste, remansit. Fulsit porro *Antonius* ab eximia in rebus gerendis dexteritate; bis enim Proregis vices arduis in rebus cum laude substinuit, cujus filius *Jacobus* insigni etiam pietate commendatur. Ab hujus hærede *Agatha*, quæ *Petro Ruffo* nupta, huic dynastiam dotis nomine assignavit, anno MDCLXXIV. ad *Carolum Ruffum* devenit, Caroli II. privilegio Vice-Comitem confirmatum, unde *Jacobus* omnium scientiarum ornamento illustris, cujus domus eruditis Viris omnibus patebat. Posthac in Regis potestatem quum *Francavilla* venisset, illata in Regium ærarium aureorum supra centum millium summa, *Dominicus Onetus*, Sperlingæ Dux opidum obtinuit, & Bis-Comitis titulum MDCLXXIX. ab eodem Carolo II. exoravit. *Dominico Franciscus* frater successit Hieronymæ Valguarneræ matrimonio copulatus; quorum filius *Stephanus* Panormi Justitiarius claruit; Habuit

cum

cum Rosalia Monregali *Franciscum* anno MDCCXLVII. Bis-Comitem appellatum, Stephanæ Gravinæ sacris vinculis adjunctum, S. Bartholomęi etiam Principem, moribus elegantissimis præditum, qui in vivis hodie agit.

FRAZANUM Opidum Comitatus S. Marci pars hodie, ejusque veluti Municipium in collibus post Caprim circa austrum, & orientem leviter declivi inhęret solo, cujus Parochialis sacra ædes Archipresbyteri curę commissa cum aliis VI. minoribus, Assumptę in Cęlum Virginis patrocinio gaudet, & Sacerdotum cętu Divinas laudes celebrantium, instruitur. Inter filiales porro S. Philadelphi Ecclesiam memorant B. Laurentii Monachi, de quo inferius, Acta; necnon SS. Trinitatis, ubi idem Laurentius circa vitæ suæ exitum habitavit, & corporis sarcinam deposuit. Abest ad pass. D. S. Philippi de Fragalà Basilianum cęnobium, cujus notitiam dedi. De *Frazani* origine, quod Sarracenica fuerit, conveniunt, uti ipsum prodit vocabulum; Hinc Rogerii Comitis dono *Nicolaus Camuglia* in eo primus jura dedit. *Garciæ Sancii de Esur* S. Marci Dynastæ dominium subinde agnovit, & *Aragoniæ* gentis proceribus diu paruit ad Regis Martini ætatem, cujus jussu *Aragoniis* exauthoratis, *Frazani* possessio *Angelotto de Larcan* obtigit sub sæculi XIV. exitum cum Myrto, Capri, & S. Philadelpho. Alphonsi demum Regis beneficio rursus ad S. Marci Comitem, tunc *Riccardum Filingerium* MCCCCLIII. devenit, cujus ad hæc nostra tempora hæredes Baronis titulo, cum jure gladii, & loco in Comitiis LI. possident. Ad Dięcesim spectat Messanensem, & Tortoricis Comarchiam, Militaremque Mistrettæ Instructorem sequitur. Lares sub Carolo V. 125. incolas an: MDXCV. numerabat 633.

Sæculi

Sęculi elapsi medio lares 248. incolas 895. Decurrentis an: XIII. foci 178. opidani 482. & novissimè 912. sunt descripti. Sub eodem denique cœli situ, quum Capris, Myrtus, *Frazanus*, & S. Marcus penè respondeant, illorum longitudo, & latitudo paucis discriminatur.

S. Laurentio Basiliani ordinis Monacho *Frazanum* gloriatur, illumque veluti Patronum colit, qui optimis parentibus ortus in Fragalensi primùm Monasterio, mox Agyrii vitam monasticam professus, sub Ætnæ monte solitarius aliquando vixit; per alienas terras peregrinatus, ubique morum probitate effulsit. In patriam denique redux, sui sacri corporis, moriens, illam hæredem reliquit. Extant ejus Acta apud Cajetanum. Floruit hoc sæculo Policarpus Allous ex eodem instituto Generalis Definitoris munere clarus Abbatiali dignitate insignitus, & Novi Panormitani Monasterii sub regula, quam professus fuerat, præcipuus promotor. Laudatur a Mongitore, qui Dominici Bordonari etiam meminit, & Antonini Mauri, eosque cum scriptoribus poesi, & politioribus literis excultissimis jure confert. Agri fœlicitas eadem est, ac Capris, alibi descripta.

FRETUM SICULUM, a proximis *Messanâ* hinc, illinc *Rhegio* urbibus, *Messanense*, & *Rheginum* nuncupatum. Quum ab ortu, & meridie Siciliam Adriaticum, seu Jonium mare ambiat, ab occasu verò, & septentrione Tyrrhenum, ubi in angustiis terrarum continentium ejusdem insulæ, obversæque Calabriæ uterque pelagus alterno cursu fluit, & refluit, *Fretum* quasi *Fremens*, aut *Fervens* appellatur, quod terribile sit navibus, & infestum, frematque, ac ferveat omni fermè tempore. Veteribus, ac Poetis terræmotu ab Italia evulsa Sicilia creditur, quod fabulis accensen-

dum, uti alibi in Notis ad Fazellum ostendi. Nihilosecius adeo angustum intercedit spatium a *Ceni* Italię promontorio, Turri *Caballi* indigenis, ad *Pelorum*, vulgo *Pharum*, uti ex Scriptoribus aliqui cum Isidoro ad III. pass. M. nonnulli ad II., quidam denique cum Cluverio ad pass. MD. illud extendi affirment. A Peloro autem, seu Pharo Rhegium usque pass. M. XVIII. circiter computari; sed a margine Messinensis portus extimo, ubi Laterna, & Charybdis, seu Calopharus, ad Rheginam occiduam oram *Vulpis Caudam*, vulgo dictam, nonnisi X. M. intercapedinem esse tradunt. Protelantur hæc latera, ad portus fauces, & quâ in meridiem Rhegina, & Sicula ora protensa extenditur; at undarum fervor maximus, seu fremitus, unde *Fretum*, uti innui, nonnisi circa Argenum, seu S. Alexii in Sicilia, & *Caput Armorum* in Calabria quiescere videtur.

Fluxus in hoc *Freto*, aquarumque Refluxus senis alternis horis, quater scilicet per diem integrum peragitur; cujus caussas Philosophis perscrutandas relinquo. Si ab austro Septentriones versus tendit, dicitur *Ascendens*; Contra si e septentrionibus in meridiem decurrit, *Descendens* appellatur. Naves idcirco, quoties in filum princeps oppositum, Reumam Gręca dialecto appellatam, incurrunt, licèt expansis velis ventum excipiant propitium, nulla vi loco moveri, & progredi possunt, donec vitato filo, aliò cursum dirigant, & ab expertis e portu accitis, in tramitem reducantur; non rarò etiam, dum sibi fidentes illorum navarchi contendere conantur, absorptę pereunt.

Scylla demum scopulus est, Calabrensi littori adhærens, & a primis vocis ejusdem elementis, quę per decurrentem aquam sub scopulo veluti resonare cla-

rissimè

rissimè percipiuntur, vocatur; *Charybdis* porro nomine vorticosum mare intelligitur, eo quod & primam etiam syllabam immurmurando exprimat, & a proxima turri, ubi Laterna, *Calopharus* Græcè quoque vocatur, seu *Bonum lumen*. Vortices ad *Fossam Navis*, uti appellant, pręterea videntur; eò enim filum, seu reuma e Pharo tendit; inde verò ad Messanæ littus, ubi celebre suburbanum Paradysus, dirigitur. Poetis effingendi hinc data occasio, quod Scylla, & Charybdis fœminæ fuerint a Diis in monstra marina conversæ, quarum latera latrantes canes perpetuò vorant, uti Natalis Comes Myth: lib. 8. cap. 12. De caussis vorticum consulendus Kircherius *Mund: Subter:* De Morgana in eodem *Freto* idem Artis Magnæ lib: 10. cap. 1.

FRONDONIS Fluvius in Mylensi littore ab Archis appellato, mari illabitur.

FRUMENTI Mons in Ætnæ suprema australi regione, ita appellatus, quod instar acervi ex tritico videatur compactus; minutis enim glareæ, sive arenę granis constat. Alter ejusdem nominis ad orientem æstivum solem pari forma spectatur, nonnihil australi depressior.

FURCO Casale, quod Fridericus Cæsar Siciliæ Rex Messanensi Ecclesiæ MCCXI. attribuit, uti ejus constat diplomate.

FURIANUS Fluvius, Ptolemæo *Chydas*, inter Calactam, & Aluntium veteres urbes, Caroniam scilicet, ac S. Marcum, uti recentiores appellant. Quamvis Fazellus Chydam *Rosmarinum* hodie esse, evulget. Oritur ex fontibus *Solatio, Marescotto, & Miralio*, inter montes Soros, quos idem Fazellus Heræos esse affirmat, Troynæ, & S. Philadelpho confines; in litus inde, vallibus eorumdem montium peragratis, S. Marco

subjectum sese effundit ad Aquas dulces, ac Tyrrheno mari sese adjungit:

FURIÆ Messanenses Pagi sunt ad austrum, & aquilonem, Messanæ fascibus subjecti, de quorum singulis agimus propriis in locis.

FURNARIS Opidum in Pactarum Comarchia, & Messanensi Diœcesi, a Castello Oliveris haud procul, quod in censu una cum *Furnari* venit; tumulo insidet in occasum, & aquilonem, arcemque ostentat veterem, ruinis hodie patentem. Princeps templum Christo Domino Crucifixo nuncupatum, Archipresbyterali gaudet titulo, aliisque v. jura dat. Carmelitarum conventus exiguus Deiparæ tutelari sacer habetur. *Furnaris* civis Josephus Millemagius celebris ab eloquentia sub elapsi sæculi exitum vixit; Panormi hinc bis in præcipuis Ecclesiis cum plausu auditus, Neapoli, Romæ, Venetiis, ac Melitæ ob dicendi efficaciam, & elegantiam quoque claruit. Decessit tandem patriæ Archipresbyter MDCCII. Spectat opidum ad *Martianos* hodie, qui *Furnaris* Principes ab an: MDCXCII. audiunt, gladii potestate gaudent, in Comitiis LVI. loco sedent, & Magistratus deligunt; dudum verò ad Nobilem gentem de *Furnari*. Primus enim Friderici III. munificentia, agrum *Blasius Furnaris* accepit MCCCLXXV. arcemque ędificavit, ac mortalibus congregatis, opido originem dedit; Meruerat enim penes eumdem Principem *Blasius*, quod Tripim opidum aliis circa descientibus, sub Regia obedientia conservaverat. Vivebat Martini ævo alter *Blasius*, qui in censu de anno MCCCCVIII. pro Feudo *Furnaris* clientari jure tenebatur. Non omiserim tamen in Friderici II. Regesto *Bartholomæum de Manifcalco Furnaris* Casale devinctum habere. Franciscus Emma-

nuel

nuel præterea in sua *Sicilia Nobili* lib. I. par. 2. quod *Joannes*, & *Stephanus de Mauro* ante *Blasium de Furnari* in clientelam tenerent ex publicis eruit tabulariis. Alibi verò lib. 2. de Philippo Furnari ait, quod sęculo XIII. ineunte e patria Janua in Siciliam delatus, terras a Suevis Principibus primùm, indeque ab Aragonensi Petro acceperit circa Pactarum sinum, ab Oliveri hodie appellatum, in quibus Castellum condidit, & a familia sua dictum voluit. Postmodum verò alii ex eo oriundi hęreditario jure possederunt, ad *Antonium* usque, Philippi IV. privilegio *Furnaris* Ducem constitutum, cujus abnepos *Ferdinandus Xaverius*, juvenili ætate MDCCL. sublatus, postremus Dux fuit; ab ejus enim morte Petrus Arduinus & Rocca, titulum assecutus, *Josepho Paternionio Tedeschi* Catanensi Patritio vendidit.

Jam ex *Martianis* primus emit *Antoninus* Princeps *Furnaris* appellatus, eique filius *Laurentius* successit, Joannæ Perpignano & Leofante maritus, unde *Antonius* II. qui Emmanuelam Valguarneram uxorem habet. *Furnaris* foci sub Carolo V. 138. incolę 691. Anno elapsi sæculi XII. lares 229. incolæ 845. Nostra ætate MDCCXIII. foci 175. animæ 688. nuperrimè 1043. Ager oletis, moris, frugibus dives, Galiciotti fluenti aquis fœcundatur. Longitudo grad: XXXIX. penè attingit, latitudo XXXVIII. X.

FURNARIS Arx, seu Turris specula, post Mylarum promontorium in occasum.

FURNUS Statio est post Mylas. Eò Rogerium Comitem, quum primum in insulam appulit, inscendisse ferunt.

FUSARA Mons ad Ætnæ australes radices, sub quo incendium illud de anno MDCLXIX. erupit, nomenque habet a fruticibus ejusdem nominis, quibus consitus abundat.

GAG-



AGGIS Opidulum *Xaggis* aliter, & *Gaggus*, ac in Rogerii Comitis diplomate an: MCXVII, *Scaggis* appellatum, sub Tauromenio, circa torrentis alveum, qui ad montis Tauri radices præfluit, situm, ex ejusdem urbis olim municipiis, hodie ad *Spuchios* S. Stephani Duces spectans. Parochialis Ecclesia Deiparæ Annunciatæ sacra, cum S. Sebastiani Martyris opidanorum Patroni sacello elegantissimo medium occupat; in tumulo proximo dynastæ domus magnifica. Lares in novissimo censu 101. incolę MDCCXIII. erant 286. hodie verò computantur 442. Devenit elapso seculo in potestatem nobilis gentis de *Mauro*, quæ a Regiis emit Ministris. Inde *Brancifortii* Scordiæ Principes tenuerunt; Ex venditione *Spuchiis* cessit. *Gaggis* dynasta floruit nuper *Blasius Spucher*, qui Tauromenitanum vetustissimum Theatrum magna ex parte purgavit, & eruditis antiquitatis amatoribus præclarè consuluit; varias pręterea inscriptas tabulas ad patriam spectantes ab interitu vindicavit, & in conclavi ad id instituto ex ordine locatas voluit. Fatis immaturè concessit MDCCLIII. *Joanne Baptista* filio relicto, qui *S. Stephani* Dux, ac *Gaggis* Baro hodie vivit, Mariæ de Gregorio matrimonii vinculis adjunctus; in publico Regni consilio LXIV. proferens votum.

GAIDARA Casale in Mylarum ditione; quod Monasterio S. Mariæ Roccamatoris anno MCXIV. Bartholomæus de Luce cum aliis bonis attribuit. Subjecta illi dicuntur minora tria Casalia: Papalardum, Masclarium, & Campegium. Hodie jacet.

GALA

GALA Municipium ex præcipuis Castri Regalis, circa æstivum ortum, cum parochiali Ecclesia S. Mariæ Majoris. Celebrius reddit vetus, & insigne Basilianum Monasterium S. Mariæ titulo, ab Adelasia Comitis Rogerii uxore MCV. in tumulo ab urbe pass. bis MD. a fundamentis extructum, bonisque, ac prædiis munificentissimè auctum, & ejusdem quoque *Galæ* opidulo donatum. Græcanicum porro fuisse ante ipsum Rogerium *Galæ* opidum tradunt, atque a *Lacte* ita appellatum; condendi autem cœnobii votum post Mylas expugnatas Comitem ipsum concepisse, Adelasia in suis literis declarat, templique & Monasterii substructiones posuisse. Primus illius Abbas Arnesius memoratur; hodie commendatum habet Petrus Sandoval ex Principibus Castelli Regalis. In cujus finibus *S. Veneræ* Crypta, de qua alibi. Lares opidi, & incolæ in Censu Castri Regalis veniunt.

GALARINA Vetus civitas Stephano, & Favorino, *Galeria* Diodoro. A Morgete Italo condita, eodem tractu cum Centuripe, circa Ætnam montem, & Symęthum amnem stetit. Aretius, ubi Galianum, sive Gallanum hodie, sitam dicit, neque abnuit Cluverius; id quippe vocabulum, ait, posterioribus potuit temporibus a pristino *Galariano* deduci. Morgetes aliunde populi ex Italiâ in Siciliam advecti loca circa Symęthum occuparunt, & Morgantium haud procul Symętho condidere. Memorat Diodorus lib. 16. quod ab Entellinis, quos Pęni dura obsidione premebant, vocati in auxilium *Galarinenses*, armatos subsidio suorum M. miserunt: quos tamen in itinere obviam facti Carthaginenses, multiudine circumventos, ad unum omnes contrucidarunt. Idem lib. XIV. a Dinocrate Syracusano, qui bellum cum Agathocle Tyranno

gere-

gerebat, *Galariam* occupatam tradit: *Dinocrates*, illius sunt verba, *cum exulibus habens supra* III. M. *peditum*, *& non infra* II. M. *equitum Galariam occupat*; *quum ultro cives eum vocassent*, *& factione Agathoclis ejecta*, *ipse ante urbem castra locat*. Mox verò a Pasiphilo Agathoclis Duce recuperatam affirmans subdit: *Pasiphilus verò Galaria recuperata*, *auctores defectionis supplicio affecit*. Hęc autem gesta dicit, postquam Dinocrati male cesserat expeditio contra Centuripinos; adeoque a Centuripe haud procul cum laudato Cluverio *Galarinam* adstruimus.

GALATA Urbs vetus, *Calata*, cujus opidani inter mediterraneos a Plinio relati, *Galatini* dicebantur. Ex ea Aretius, Galateam Nympham olim duxisse originem, nullo tamen authorę, adstruit, cui Silvagius accinit. Cum Calacta maritimo opido confundunt nonnulli, uti suo loco innui. At Priscianus Grammaticus clarissime distinquit lib. 2. ubi legitur: *Prænesta Prænestinus*; *Calata Calatinus*; *Calacta Calactinus*. Situm Cluverius indicat: *Ultra Apolloniam*, *& Rosmarinum flumen*, *ad Fitaliæ amnis fontem opidum vulgo hodie dicitur Galati*. *Id antiquius appellabatur Galata*. De *Galati* mox dicam.

GALATEA Opidum ex Goltzio olim ad Chydę fluminis, nunc *Furiani*, ripas, a lactis copia appellatum. At enim, quum apud veteres ejus nulla extet mentio, Golezius cum *Galata Galateam* confundere videtur, aut cum *Calacta*. In eadem quippe aquilonari Siciliæ plaga sedebant.

GALATIS Opidum ad Fitaliæ amnis, *Zapulla* vulgo, fontes, ultra Tortoricium in collium plano solo situm, Sarracenicæ originis, & in veteribus chartis *Galath* appellatum, arcem, sed labefactatam ostentat,

&

& Majorem parochialem ædem *S.* Jacobo Apost: sacram sub Archipresbyteri cura, cui *S*acerdotes x. Divinis officiis incumbentes famulantur, ac minores Ecclesiæ xII. subduntur; quarum su nt II. *S*acris administrandis designatæ. Minoribus Observantibus cenobium Deiparæ Annunciatæ titulum referens est ad opidi oram. Monialibus *S.* Benedicti custodiendis decens loco frequentiori Parthenon assurgit; Dynastę domum habent non inelegantem, qui Magistratum constituunt, jus gladii exercent, ac inter Principes loco XLV. in Comitiis assident. Prioratus *S.* Annæ de Galath Benedictini instituti, Adelasia Comitissa annuente, anno MCXXIV. ab Eleazaro de Mallauratio constructus in tabulis Monasterii *S.* Mariæ Vallis Josaphat cui fuit ille adnexus, memoratur. Voverat enim illa, antequam mari se committeret, si cum prosperitate Jerosolymam pervenisset, binas Ecclesias, unam in honorem *S.* Annæ, alteram Deiparæ Virgini sacram; Et primam Vvillelmus Messanensis Antistes anno MCXXIV. consecravit; hinc in diplomate Eleazari conditoris, sic ille subscribit: *Ego Vvillelmus Dei gratia Messanensis Episcopus, qui una cum venerabili Episcopo Mazarensi in festivitate S. Andreæ* [ita diploma, quod vidi, non *S. Annæ*, uti Pirrus tradit] *præfatam Ecclesiam in honorem B. Annæ consecravimus, interfui, & fateor*. Ejusdem porro fit mentio in Bulla Innocentii II. in qua Ecclesiæ enumerantur, Monasterio Vallis Josaphat suffraganeæ, & in Guillelmi II. Regis literis, ubi dicitur Goffredum *Messanensem Episcopum Baptisterium, Cæmeterium, & Confessionem* illi indulsisse. Quamvis a Guillelmo potius, quam a Goffredo Episcopo hæc attributa *S.* Annæ Ecclesiæ putaverim; Goffredus enim ab anno MCXX. jam vivis excesserat.

Ex hactenus allatis illud eruo, Galatis opidi sub Northmannis dominium, aut penes *Adelasiam* Rogerii Comitis neptem, aut penes *Guillelmum de Mallauratio, Eleazari* patrem stetisse, qui forte ab *Adelasia* illud obtinuit. Ad *Nicolaum Camugliam* subinde delatum censeo, qui perperam sub Rogerio *Galatis* dynasta a nonnullis evulgatur. Anno MCCCXX. circiter in Friderici II. Censu Feudi jure devinctum *Blasco Lanceæ* Regestum exhibet, & Martino Regni potente, anno MCCCCVIII. *Conradus Lancea* in clientelam adhuc habebat. Nam & si Regi infensus *Conradus*, bonis fuisset omnibus mulctatus, ejusque loco *Bartholomæum Aragonium* Rex subrogatum voluerit, in gratiam mox receptus MCCCCV. ad primęva jura jam fuerat revocatus. *Perruchius Lancea* subinde, *Guillelmus Raymundus*, *Blascus*, & *Hieronymus* ejusdem gentis tenuerunt, elapsique sæculi initio *Squillis* subdebatur, Landri dominis, ex quibus *Jacobus* MDCXCVI. & *Petrus* mox memorantur. Ab his *Philippus Amatus* emit, Principatus tessera ornavit anno MDCXLIV. & mero, ac mixto imperio, uti appellant, illustre reddidit. Fuit Panormi Justitiarius, tertium Senator, ac Regni XII. Vir, Dux Astis, & Caccabi Comes. Ex Agatha Buglio filium habuit *Antonium*, Alcantaræ equitem, Franciscæ Agliatæ conjugem, unde *Andreas* Alexandræ Rubeæ ex Ceramensibus Comarchis matrimonio copulatus, *Philippi Antonii* pater; Vivit hic, filiumque *Joachimum* ex Belladama Septimo suscepit. Antonia Corvina *Joachimi* est uxor.

Sub S. Philadelphi militari Præfectura, & Tortoricis Comarchia vivunt *Galatenses*, quorum lares sub Carolo V. 450. animæ MDXCII. descriptæ sunt 1183. sequentis sæculi medio lares 466. incolæ 1861. Anno

MDC-

MDCCXIII. foci 365. civium capita 926. ac novissimè 1464. censa sunt. Gradum habet opidum longitudinis XXXVIII. XXX. latitudinis verò XXXVIII. VIII. Suum jactat civem Antonium Cingalium Poetam egregium Etrusco, & Latino carmine suo tempore clarum, Parutæ, Venetiano, & Mongitorio memoratum. Agro utitur oletis refertissimo, moris, fructiferisque arboribus consito, pascuis, frugibus non indigo, & venatoribus non ingrato.

GALATIS Fluvius, fontes in opidi cognominis colle habet, cui amnis Tortoricis suas committit aquas sub Fitalia, a qua nomen accipit, tandemque inter littus S. Marci, & Orlandum promontorium in mare se exonerat, & a *Zapulla* appellatur. Vide *Zapulla*, & *Tortoricis*.

GALATIS Messanæ Municipium ad meridianam plagam in declivi loco orientali situm, Parochiam habens S. Annæ sacram; laribus 75. incolis 294. an: MDCCXIII. sed nuper 305. conflatum. Senatus fascibus subditur, & fluento proximo nomen tribuit. Abest Messanâ pass. M. VII.

GALERMUS Opidulum, Catanæ urbis olim Casale, a qua pass. M. IV. in æstivum dissidet occasum; ad Ætnæ inferiores plagas australes sedet. Parochia S. Joannis Baptistæ nomine insignita, supra cryptam fundata latè patentem, quam Archangelus, & Carrera eam dicunt, unde Dis ad Proserpinam flores in Ætna legentem rapiendam, cum curru exstitit. Sed de hoc Raptu, qui apud *Ennam* juxta alios contigit, alibi dictum. Emit anno MDCXLVI. ab Regia Curia *Hieronymus Gravina* Panormi semel Prætor, Regni XII. vir pluries. Ejus fuit filia, & hæres *Marianna*, Josepho Valguarnera Gangii Principi nupta, unde Franciscus

Xaverius MDCCV. Eques S. Annunciatæ, & Militaris Tribunus apud Sabaudiæ Ducem, Caroli Regis noſtri a Cubiculo, cui filia *Marianna* unica ſuperſtes ſucceſſit. Hanc ſibi *Petrus Valguarnera* avunculus, vir undique clarus, in ſponſam adoptavit, ex eaque filios tulit. Sunt *Galermi* lares 118. incolæ 458. uti Cenſus de anno MDCCXIII. exhibuit; ſed hodie 526. computantur. Spectat ad Catanæ Comarchiam, & Dięceſim. Venit etiam ſub *S. Joannis* nomine de *Galermo*, ob Patronum, cujus feſtum ingenti frequentia celebratur.

GALIANUM Vetus opidum, *Gaglianum* Siculis, ſub exeſa, ac undique prærupta rupe, declivi tumulo imponitur, in ortum, & meridiem vergente, çollibus undique obvallato. Rupis autem viſcera ferro excisa in arcis formam effinguntur, quę licèt ruinis hodie undique obvolvatur, antiquę magnificentię non obſcura veſtigia ſervat, & pro dynaſta decentiſſimas ędes cum oratorio oſtentat, paucis ab hinc concinnatas. Ferunt porro olim eamdem arcem, uti ex ruderibus apparet, turres V. ciſternas XII. foſſas, cryptaſque XVII. conclaves, aulaſque ſupra XXX. comprehendiſſe in vivo ſaxo pro majori parte ſcalptas. Prope S. Petri Eccleſia ſurgebat, quæ præcipua, & parochialis habebatur; at ſitu elatiori quum eſſet, & infrequens, loco magis opportuno, circa ſæculi XIV. medium, S. Cataldi Epiſcopi, opidanorum Patroni æde magnifica delecta, huic illa jura ſua ceſſit; hinc in rei monumentum e S. Petri ſollemnis hodie in Feſto Corporis Chriſti ſupplicatio procedit; In S. Cataldi verò Archipresbyter cum ſuis communi ſocietate viventibus reliqua obit muuia, & Sacramenta adminiſtrat. Ejuſdem Divi ſolemnis eſt dies cum indigenis, tum circumjacentibus populis; erga illum enim præcipuo cultu addi-

cuntur.

cuntur. Inter filiales XII. S. Maria Gratiarum sacra etiam incolis præbet. Ex Regularibus perstant S. Augustini Eremitæ, quos medio XV. sæculo fundatos in S. Joannis Baptistæ Ecclesia opidanorum traditio dicit. Attardus longè ante annum MDCVII. effloruisse optimis rationibus, evincit, quamvis Ordinis Annales in MDCXXXI. rejiciant. Minoritanis Reformatis circa aquilonem in extrema opidi ora cœnobium Lancellottus Castelli Comes MDCLVII. condidit, quod non incomptum, & inelegans; servatque in Ecclesia S. Mariæ a Jesu dicata corpus S. Mauritii Martyris; Degebant extra in S. Maria de Plano Augustinienses, S. Adriani, Centuripis Congregationis, sed terræmotu concussis ædificiis, recessere. Carmelitis MDCXXIV. S. Antonii Abbatis cessit sacra ædes, sed proventuum parcitas inde post lustra penè VIII. abire coegit. Virginibus Deo sacris sub S. Teresiæ institutis data est S. Mariæ Gratiarum Ecclesia MDCLXVIII. cui sub ejusdem sæculi initia Puellarum pauperum hærebat domus, uti Petri Ruiz Messanensis Archiepiscopi literis constat. Forum denique elegans e marmore fons exornat, quem Lancellottus Comes MDCLIX. jussit. Subditur indigena *Galiani* militia S. Philadelphi Instructori, ad Troynensem Comarchiam spectant cives; Clero Messanæ Archiepiscopus jura dat per suum Vicarium; Dynasta jus gladii habens, & locum in Regnî consilio XV. olim vice-Comes, nunc Comitis fert titulum, & Magistratus deligit. Caroli V. ætate larium census 726. civium paullo post 2954. Anno MDCLII. lares 1150. opidani 3875. Nostri hujus sæculi XIII. an: numerati sunt 697. foci, incolæ 2449. ac nuper 2526. In agro feracissimo veteris ætatis monumenta perseverant, & nigrum succinum provenit; oleæ, mori, ac

fru-

fructiferę arbores nutriuntur, pascua exuberant, venationes non desunt. Longitudo est grad: XXXVIII. X. latitudo grad: XXXVII. XXXV.

Gilibertus Perollus Galiani dominus sub Northmannis, *Gilettam* Rogerii Comitis filiam, Zapparronis viduam thalami sociam habuit, & Saccam jure uxoris ejusdem obtinuit. De eo Pirrus in *Notit: Messan*: ad annum MCXLII. quo Rogerii Regis literas refert, ubi *Perollus* pręcessores suos *Galiani* Barones memorat. Gallis insulam moderantibus *Fulconem de Podio Riccardo* Regni pro Carolo V. Vicarium *Galiani* dynastiam assecutum Siculi produnt Annales; Huic filius *Perrucius*, & *Sancia* neptis successit. *Sanciam Galassus Eslendardus* conjugem habuit. Quo in celebri illa Siculorum omnium contra Gallos conspiratione cum suis exturbato, *Petrus Procyda* Joannis fortasse filius, a Petro Aragonensi exoravit, *Montanerio Perio de Sosa* subinde cessit, qui astu militari Gallos deceptos e Catana evocatos confecit, uti in Historiis. Apud Friderici censum ejus idcirco hęredes Curiæ obnoxii *pro terra & Castra Gagliani* dicuntur circa MCCCXX. Mox Ludovico Regni potente *Rogerio Theutonico* in clientelam datur, quo ab opidanis impotenti ejus regimine vexatis, ejecto, *Euphemiæ* Regiæ Infanti, Ludovici forori, Siciliæ pro Friderico fratre Vicariæ, & Monasterii Messanensis S. Claræ Abbatissæ possessio obtigit, eaque apud Cephalædim anno MCCCLIX. defuncta *Bernardus Spatafora* sibi vindicavit; quamvis Friderici ejusdem beneficio subinde legitime obtinuerit. Martinus Senior MCCCXCII. *Perio Sancio de Calataiudo* domus suæ majori concessit, quem *Robertus Diano* S. Joannis Romæ, & Messanæ Prior Alagonensium fretus auxiliis repulit, castrumque occupatum

cupatum ad quadriennium tenuit. Rebus verò compositis, quoad viveret, a Martino Juniore impetravit. Anno MCCCCVIII. ob *Dianæ* mortem *Sancius Ruis de Libori* ejusdem Principis familiaris, unciis auri circiter M. solutis, a Regia emit Curia, & Vice-Comitis titulum præterea meruit. Vindicavit Alphonsus Rex, ob facultatem redimendi a Curia reservatam MCCCCLV. ac *Ludovico de Pereglios* concessit, quem filius *Raymundus* excepit.

Almericus Centelles, qui se *Periam Sanciam de Calataiudo* II. appellabat, uti veteris *Perii* hęres circa sæculi XVI. initium litem possessoribus intendit de *Galiani* dynastia, & in judicio obtinuit; illius hinc Vice-Comes est renunciatus. Fulsit *Almericus* Camerę Reginalis, seu Patrimonii ad Reginam spectantis Gubernator, & Syracusarum idcirco Prefectus, quumque eò Rodensium Equitum Magister appulisset, hunc suas in ædes exceptum splendidè habuit. Alter *Almericus* Philippi II. privilegio *Galiani* Comes evasit, Regni XII. Vir fuit, & cum Diana Valguarnera *Antoniam* progenuit. Hæc primis nuptiis *Laurentio Galletti* Vallis Mazarę Vicario, & Messanensi Stratego sociata, filios Aleranum, & Nicolaum tulit. *Aleranus* & *Laurentius* aquis suffocati, quum in mole Panormitana disruptus pons corruit, periere. Antonia idcirco secundum cum *Alerano Carretto* conscendit thalamum, qui jure uxoris *Galiani* Comes, totius insulę Vicarius, Philippi II. Pincerna, S. Jacobi Eques, Panormi Pretor, & ob merita in suos Pater Patriæ fuit appellatus. Improles hic quum fuisset, a morte *Antoniæ Nicolaus Galletti* alter ejus filius Comitatu potitur, ductaque in conjugem Lucretia Mastiana, *Laurentii*, & Francisci pater effectus est. Ille *Catharinæ Fardellæ* adjunctus,

junctus, absque filiis decessit; Franciscus dynastiam non assecutus, Siciliam reliquit. Illam enim Catharina, consumptæ dotis nomine, sibi adjudicavit, & *Gregorio Castello* XCII. aureorum M. acceptis MDCXXIX. vendidit. *Gregorii* filius *Lancellottus*, Castriferrati Princeps, Capitii Marchio enituit; ex quo, & Hippolita Larcara *Gregorius*, unde *Lancellottus Ferdinandus*. Ab hujus morte absque filiis *Carolus Hieronimus* Mottæ de Affermo Marchio, Susannę Liliç maritus *Galianum* assequitur. Quorum hæres, ac primogenius *Gabriel Lancellottus* Annæ Mariæ Faso thalami socius, ab ingenii cultu, moribusque eximiis commendatus, inter, Arcades Drogontei nomine adscriptus, aliisque celebrioribus Italiæ, ac Siciliæ Academiis accensus, editis demum operibos clarus, prole dives vivit hodie.

GALICIOTTUS. Fluvius, aliis *Caliciottus* quasi *Galicis* parvus, sive fluentum inter Oliverim, & Furnarim opida ostium aperit, ortumque, paullo supra habet.

GALLANUM Opidum. Consule *Galianum*.

GALLUS AUREUS Opidum, *Leto Jannis* aliter, in collis declivi inter Fortiam, & Tauromenium sedet, cujus est in littore vicus, cum elegantissima magnifici operis æde a dynastis olim extructa, & Ecclesia, ubi sacra administrantur, Deiparæ de Crypta nomine insignita, post *Leti Jannis* fluenti ostium. Erat ex Tauromenii municipiis, sed *Reitanus* anno MDCXXXII. ex venditione, Regis jussu cessit. *Ansalonius de sua Familia Nicolaum Crisaphium* nihilominus vetustis temporibus *Galli Aurei* dynastam dicit, a Regiis rationibus, Messanæ Strategum, cui Minutulus in Messan: Prior: se subscribit. Emit porro primus *Franciscus Reitanus*, Marchionis titulo auctus, ex quo *Antonius*

tonius MDCXLIX. Regni XII. Vir, Carolo Regi infensus. Ejus hinc successores *Galliaurei* Marchiones titulotenus sunt dicti; opidi verò jura ad *Viges* Janua oriundos, Regii Consulares transtulere MDCLXXVIII. necnon & titulum, quem Michael Busacca, Corvi dynasta, ære soluto accepit. Ex illis *Justinianus Vigus* hodie possidet. Princeps templum S. Theodoro, aliis S. Deodato addictum, sub Archipresbyteri cura, V. minores enumerat suffraganeas Ecclesias. Pirrus S. Æmilionis Basiliani Prioratus meminit apud *Gallum Aureum*, cujus Ecclesia ruinam minabatur. Ejus in agro nobiles auri mineræ, unde nomen opido obvenit, plumbi insuper & æris, quas nuper apertas Regio indultu lucra non levia reddidisse comperui. Opidani censi sunt anno MDCLII. a Tauromenio discretim 1246. in laribus 305. Novissimè 1196. foci verò 584. quamvis in descriptione de anno MDCCXIII. 2372. computati.

GANGIUM Opidum. Vide *Engyum*.

GAZIS Messanense ad austrum in Dromo municipium, cujus parochialis Ecclesia cum æris campani turri S. Nicolao sacra.

GEMELLI Colles ad Nebrodis montis, vulgo *Madunie*, latus orientale, æquales omnino, ambitu, & altitudine supra Castellum Bonum in hibernum occasum fubriguntur. Ad eorum radices celebre ordinis S. Benedicti Monasterium Deiparæ de Partu sacrum, quod B. Guillelmus Politiensis primus inhabitavit, & sanctitatis suæ radiis illustratum, corporis exuviis in eo depositis longe clarius reddidit. Alii sunt *Gemelli* nostri ab iis, Plinio, aliisque veteribus memoratis, quorum Tom. 2. meminimus.

GERACIS Opidum. Consule *Hieracium*.

GIAMPILERIS Opidulum. Vide *Jampileris*.

GIAMPAULUS Ager est in Messanensi aquilonari ditione Ducatus honore clarus, ad *Marullos* dudum spectans. Hodie eo titulo fruuntur Paternionii proceres Catanenses, qui Carcacis Duces commutato nomine audiunt.

GIARRE Mascalis est municipium in Regia occurrens via, qua Messanam contenditur a Neti Valle. Parochialis ædes S. Josepho sacra sub Sacerdote *Curato*. Ejus est vicus S. Leonardus cum Ecclesia in eodem Regio itinere. Census larium, & incolarum cum Mascali venit; ob loci enim opportunitatem in dies augetur.

GIBILMANNA, *Mons Mannæ*, Cephalædi urbi circa occasum hibernum imminens, in cujus clivo Ecclesia Deiparæ Virgini sacra, cum amplo Minorum, quos Capuccinos vocant, Cœnobio. Prioratus titulo anno MCCXXVIII. Harduinus Cephalædensis Pontifex illam ornatam voluit, ac S. Augustini Regularibus Canonicis in Cathedrali constitutis conferre successores Episcopis consuevere; Conventus autem fundatio in annum MDLXVI. incidit, cujus ab urbe distantia pass. M. circiter IV. computatur. Memorat Pirrus Virginis in pariete depictæ iconem, veteribus præcipuo honore cultam; sed ejusdem e marmore simulacrum hodie Siculi penè omnes in summa habent ob acceptas gratias, ac beneficia collata, veneratione. Concludit idem Pirrus, Cœnobium hoc matrem fuisse fœcundissimam, unde fratres optimi, & vitæ exemplo eximii semper floruere; quos inter Fileonem Drepanensem celebrat, apud omnes nomen magnę probitatis adeptum, ac miris a Deo prodigiis illustratum.

GIBISUS Opidum ad aquilonem. Vide *Gypsum.*

GITALA Opidum. Consule *Itala.*

GIO-

GIOJUSA Opidum, aliter *Jojusa*, de qua inferius.

GOLESANUM Opidum, *Colesanum*, cujus jam memini.

GONSAGA Castellum ad Messanæ urbis præsidium, in prominenti colle, qui hiberno ejusdem respondet occasui, ad pass. ccc. variis operibus munitum, quadrato schemate assurgens, primus anno MDXL. Ferrantes *Gonsaga* Siciliæ prorex, Carolo V. Cæsare, ac Siciliæ Rege, instituit.

GRANITIS Opidum sub Tauromenio ad occasum, ex cujus municipiis olim erat, in fluentis alveo, vulgo *Flumara*, a Gaggi haud procul sedet. Major sacra ædes, & parochialis S. Basilio dicata, nuper fidelium eleemosynis refecta, elegantis est operis. Patrono gloriantur opidani S. Sebastiano Mart: Pastorem Messanæ Archiepiscopum, qui Sacerdoti curam committit animarum, temporalem verò dominum S. Isidori Marchionem recognoscunt; a Regiis enim Consularibus Ærario publico præfectis emit *Garsias Mastrillus* anno MDCXXXIX. aureis VII. supra X. M. solutis, ac Marchionatus insuper titulum, e Tortorici translatum, exoravit. *Garsiæ*, & Lucretiæ Cœlestis filius *Dominicus* ex Regni XII. Viris, & Panormi Justitiarius fulsit, genuitque cum Flavia Lancea *Garsiam* II. & *Mariam*. Ille Dominicum unigenitum ante se mortuum vidit; *Maria Didaci de Castiglia* conjux effecta *Petrum* procreavit, Marfisæ Paternioniæ Asmundo copulatum. Unde *Didacus* II. Granitis hodie Marchio. Lucas Barberius in *Capibrevio Adernitim*, seu *Granitim* inducit inter Tauromenium, & Francam Villam situm Casale, juris olim *Francisci Vaccæ* cui *Nicolaus* filius successit. Hic *Henrico* Rubeo Aydonis dynastæ donavit, usufructu sibi reservato. Ex

Rubeis ad *Nicolaum Castagna* MCCCLXXXII. devenit, ejusque hæredibus cessit, ad *Fridericum* usque de *Pollicino*, qui *Jacobo Balsamo*, accepto pretio, MCCCCXCVIII. assignavit.

Computabantur *Granitis* lares MDCLII. Christi anno 290. animæ 1105. Hodie illi sunt 280. ac in censu hujus sæculi incolæ 917. novissimè verò 1227. describuntur. Tauromenii Comarchia clauditur, & ejusdem Instructori, quo ad Militię munia paret. Ager ferax, oleas, & moros nutrit, nec rebus aliis ad vitam necessariis indiget. Latitudinis est ejusdem cum Tauromenio, longitudine XXXIX. attingit. *Granitis* fluvius in Rogerii Regis literis de anno MCXVII. & opidum memorantur.

GRATTERIS Opidum post Cephalędim in occasum, Sarracenici nominis, uti reor; sed ex Pirro, aliisque a *Cratere ob stillantem aquam celebre dictum*. Cryptas enim in ejus agro limpissimos latices fundentes passim indicant, & crateres insuper, in quibus aquæ, mire purgantes alvum, proveniunt, voce vulgari a *Buyhuto* appellatæ. Extat *Gratteris* memoria Northmannorum ævo; in diplomate enim Adelasiæ Comitissæ, Panormitanæ Ecclesiæ immunitates confirmantis, MCXII. subscribit *Villelmus de Gratterio*. Quem opidi dominum fuisse subdubito; veteres enim a dynastiis, quas assequebantur, cognomen assumebant. Friderico I. Cæsare, & Siciliæ Rege *Gilibertus de Monteforte*, Petraliæ Comes, & *Gratteris* dominus memoratur, ejusdem Principis Senescalcus, qui cum Isabella Comitissa conjugio sociatus vixit. Manfredus Friderici filius, ac post ejus mortem Siciliæ Bajulus, legatas a Patre Panormitanæ Ecclesiæ auri uncias D. in ædificiorum reparatione expendendas, commutavit, ei-

que

que *Castrum Asinelli*, & *Castrum Grattera* attribuit MCCL. Vigintimillis proceribus subinde cessit, sed ex iis *Franciscus*, hujus nominis primus, Petro II. infensus una cum vita, aliisque bonis amisit. Receptus in sui Principis gratiam *Franciscus* II. patris dynastias assecutus, *Antonio* altero ex filiis cum Colesano *Gratterim* designavit; hic verò moriens *Franciscum* III. ex prima uxore Margarita Peralta susceptum, sibi parum obsequentem, hęreditate privavit. Verum *Franciscus* armis jura sua tuenda suscepit, mox legis remediis; in judicio tamen, quum caussa suspensa remansisset, nonnisi in *Gratteris* possessionem inductus est. Hujus successores mox infra habebis.

Princeps ædes *Gratteris* parochialis Archangelo Michaeli sacra est, sub Sacerdote Curato, seu Cephalædensis Episcopi, cujus est Diœcesis, Vicario. Altera sub Deiparæ titulo sacramentis etiam administrandis deputatur, quæ an vetus illa S. Mariæ Ecclesia sit, quam Gilibertus de Monforte opidi dominus, eidem Cephalæditano Pontifici attribuit, incompertum habeo. Filiales denique XII. enumerantur. Minoritanis primæ Custodiæ, seu Conventualibus extra opidum, pervetustum cœnobium S. Mariæ de Jesu nomine designatum, in quo perfectioris vitæ rudimenta fecit *Sebastianus a Gratteri* Sacerdos, qui ad Capuccinos transiit, uti reponam; sed longè insignius S. Georgii Monasterium effulsit sub ordine Præmonstratensi primum, nunc equestris S. Joannis militiæ domus. Illud extruxit, ac dotavis Rogerius Dux, primogenitus Rogerii Regis, anno circiter MCXL. uti Tancredus Rex Ducis ejusdem filius in suo testatur diplomate MCXC. Lucius subinde Rom: Pont: hujus nominis III. sub Apostolica protectione MCLXXXII. suscepit, & pręcessoris

sui

fui Innocentii II. confirmationem innovatam voluit. Martinus denique, uti juris Patronatus Regii, Benedicto de Gineftra Canonico Regulari commendavit.

Sedet *Gratteris* Baro in Comitiis loco IX. mero & mixto gaudet imperio, uti dicunt, & Magiftratus defignat. Sub Comarchia Thermarum, ejufdemque urbis Inftructoris præfectura degunt opidani, quorum pedites XXV. fub fignis merebant. Sub Carolo V. foci 597. cenfi funt; fequentis vero fæculi medio non levi jactura in focis 384. incolæ 1357. computati. Noftra ætate lares 333. animæ 1094. & noviffimè 1357. defcriptæ. In agro, uti innui, falubres aperiuntur fontes, & Beryllus lapis non infrequens occurrit. Fruges abunde proveniunt, oleæ, vites, arborefque fructiferæ colles veftiunt; nec pafcua uberrima defunt, nec sylvæ opacæ, faltufque venationi aptiffimi defiderantur. Ifnelli fluvius *Gratteris* abluit fines, qui ponte haud procul ab incolis trahjicitur. Roccella arx, ad littoris cuftodiam fubrigitur opportunè munita, de qua inferius. Longitudo denique ad gradum XXXVIII. XLV. extenditur, latitudo XXXVIII. vix excedit. Sebaftianus Sacerdos Capuccinus *Gratteris* civis celebratur, cujus vita & mors, maximis illuftrata prodigiis fertur, & frequenti Chrifti Domini, ejufque SS. Matris apparitione honorata. Obiit in Caftello Bono MDLXXII.

Ad Dynaftas redeo: *Francifco*, de quo dixi, & Eleonoræ de Prades *Joannes* fucceffit MCCCCLIII. huic verò Francifcus IV. unde *Petrus*, qui anno MDXVI. vivebat, uti Lucas Barberius eft teftis. Poft *Petrum Carolus*, quem elapfi fæculi initio excepit *Petrus* II. Patriæ Pater ob infignia in fuos cives merita appellatus. Reliquos confule Tom: 2. ubi de S. Stephano de Bivona.

GRA-

GRAVINA Opidum, *Plachæ* aliter, ad montis Ætnę radices, circa æstivum occasum, Catanæ v. pass. m. imminens, atque ex ejus olim municipiis. *Petram* hodie *Valguarneram* Assori Comitem dominum agnoscit, de cujus præcessoribus jam dixi Tom. II. & paullo superius Galermi dynastas enumerans; simul enim cum eo, emit a Regia Curia anno MDCXLVI. Hieronymus Gravina, & Principatus tessera condecoravit, *Plachis* vocabulo in *Gravinam* commutato. Princeps templum, quod adeuntibus opidum occurrit in tumulo S. Antonio Patavino sacrum unicum est parochiale, eique filiales Ecclesiæ v. obediunt; Cura autem animarum Catanensis Episcopi Vicario committitur, quarum census MDCLII. fuit 715. in laribus 175. Anno autem hujus sæculi XIII. lares 208. animæ 768. descriptæ; nuper demum 1122. computantur. Pręcipua opidi Patrona S. Rosalia Virgo, cujus festum sollemne in primis habent incolæ. Utitur *Gravinæ* Princeps gladio, & in Comitiis votum XLVI. profert. Natales in eo habuit, Catanę tamen a pueritia educatus, & Catanensis idcirco habitus, Augustinus Giuffrida Artium & Medicinæ professor, ac in Patriæ Academia earumdem primarius interpres, & Archiater, quem satis celebrem opera cum ad Medicinam, & Philosophiam, tum ad poesim, & oratoriam spectantia typis edita produnt. Est Ager vineis perpetuò consitus, & fructus suavissimos uberrimè producit, morosque nutrit.

S. GREGORIUS Opidum in collibus Catanæ impendentibus, ad Ætnæ inferiores pertinens regiones, ejusdemque urbis dudum municipium, Ducis Castelli Acis, seu Massæ fasces hodie recognoscit. Parochialis Ecclesia Sancto Pontifici cognomini sacra, duas habet filiales, Catanensis Episcopi Vicario subditas.

ditas. Sed nova hodie, & magnificentissima extruitur in area proxima, Immaculati Deiparę Conceptus nomine, ex piorum eleemosynis, cujus festum nuper summa frequentia, ingentique pompa die VIII. Septembris celebrari cępit. Lares elapso sæculo 136. opidani 556. Decurrente lares 118. incolæ 561. novissime 635. descripti sunt.

S. GREGORIUS Opidulum, sub Gypso ad austrum in Regia via, post S.Rizzi collem, circa fluenti alveum, a vetusto cognomine Monasterio ordinis S. Basilii appellatum, lares habet 60. incolas in censu de anno MDCCXIII. 221. & nuperrimè 532. Subest Abbati, ac inter Messanæ municipia ad aquilonem recensetur; ad Parochiam denique Archimandritæ pertinet, ac binis filialibus Ecclesiis instruitur. Vicus haud procul dissitus *Casalottus* vocatur. *S. Gregorii* porro Monasterium Rogerium Comitem habuit anno circiter MLXIII. authorem, qui *Gypso* Sarracenorum pago, in clivo ad occidentem sito, dedentibus se Barbaris, accepto, S. Basilii Mnnachos vocavit, quibus ædes, & Ecclesiam extruxit, agros circumpositos, ab agri Messanensis finibus, ad Mylas usque, & in Randatii præterea territorio S. Anastasiæ feudum concessit, ipsumque denique pagum attribuit. De primis Abbatibus memoria extat nulla. Eos Messanensis S. Salvatoris Archimandrita, cui Rogerius Rex nostrum post aliquot annos subdidit, initio designabat, illorumque postremus *Leontius Chrysophius* Græcis, ac Latinis literis eruditus, Basilianus Monachus, Eugenio IV. & Alphonso Regi gratissimus celebratur, qui ad Archimandritalem dignitatem evectus est. *Joanni* vero de *Campagno* primum commendatur Paulo II. Rom. Pont. volente, circa annum MCCCCLXVI. Gaudet hodie

Emma-

Emmanuel Filingeri ex Comitibus S. Marci locum in publico Regni Consilio xxx. habens, & opidi Magistratus designans. Subest illi Monialium Deiparę Annunciatę apud Ramettam parthenon. Monachi Gręco ritu Divina celebrant officia, quibus Abbas Regularis præest, & Commendatarius alimenta subministrat.

GRIPPARUM Casale in agro Messanensi ad septentriones juris erat anno MCCCXX. *Francisci Romeo*; hinc *Raymundi* ejusdem filii. *Franciscus Spina* emit sub Ludovico, cujus filia *Raynaldo Lancea* nupsit; idcirco in Censu Martini Regis *Antonii & Francisci Lancea* mater illius domina dicitur. Habuit a *Lanceis*, soluto pretio, *Ludovicus Spatafora* MCCCCLIX. cujus hodie successores cum opido Martini possident.

GROSSUM Promontorium, ut vulgo appellant *Caput*, in Messanensi australi littore, quod medium pené inter Messanam, & Tauromenium in freto excurrens, hiemali tempore fluctibus tunditur. Quod Argenum veteribus fuerit appellatum, non procedit, uti alibi adnotavi; nam S. Alexii Argenum est antiquorum.

GRUGNI Turris Specula in littore Cephaleedensi, eam inter urbem, & VII. scopulos Fratrum.

GUALTERIS Opidum septentrionalibus Messanæ municipiis accensum, quamvis ad æstivum ejusdem urbis occasum situ respondeat; in plano solo circa fluminis alveum sedet, quod ejus perlambens oras Nucito se adjungit, solemque respicit ortivum. Major Ecclesia non inelegans, S. Nicolaum Mirensem Episcopum tutelarem recognoscit, ac minoribus IV. jura dat. Carmelitis Fratribus Conventum dynastæ, & civium pietas constituit a VI. jam sæculo supra X. ac Deiparæ nomen illustrat. Lares in Censu hujus sęculi

275. opidani 844. ac novissimè 1077. numerantur. Gradus est longitudinis XXXIX. V. latitudinis verò XXXVIII. XV. Clero Vicarius Archiepiscopi præest, eique animarum cura imminet; Civiles res dynastæ administri dirigunt. Quamvis enim, ex municipiis, uti innui, habeatur, proprios tamen dominos cum jure gladii, vel ab ipsis Suevorum Regum temporibus recognovit, quod mox videbis. Illustres denique Cives opidani enumerant Archangelum *Gualterium*, qui Minoritanis Observantibus sese adjungens, omnia Ordinis munia emensus, ad supremum Generalis Præfecti gradum MDCVI. Toleti evectus est. Hinc Philippi IV. beneficio, cui ob morum integritatem, ac mitissimum ingenium charus in primis evaserat, Montis Regalis Archiepiscopus renunciatus, longe majores virtutum radios emisit. Panormi inter suos decessit MDCXVII. Nobili epitaphio decoratus. Ejus cum laude meminere Pirrus, Lellus, Mongitore, Bonfilius, Maurus, qui suis Messanensibus accensent in Cieræ suburbio natum, quod adverti; Et Nicolaum Petrum Chilleum Sacerdotem, Poetam non contemnendum, de quo Mongitore.

Barberius *Musacham* Casale in Gualteris feudo memorat, quod a Cæsare Friderico Siciliæ Rege *Guillelmo de Marino* (lego alibi Matthæum) speciali privilegio Spirę MCCXII. concessum dicitur, ob strennè navatam illi operam in Germania, quo *Marinus* cum ipsomet Imperatore contenderat. Successit *Bartholomeus* abnepos, in Censu Friderici II. anno circiter MCCCXX. *Bartuccius* appellatus, quem *Petrus* filius excepit; unde *Matthæus Marinus, de Tornellis* etiam dictus, Martini ævo MCCCXCIX. inter Barones enumeratus; hinc *Odoardus* illius nepos in Censu ejusdem Regis

Regis adnotatur; ex quo *Petrus* ab Alphonso Rege confirmatus MCCCCXXI.cum clausula Juris Francorum,pater *Odoardi* II.& *Andreottæ*;hic enim post fratrem sine prole defunctum *Gualteris* iniit possessionem, tenebatque ex eodem Barberio MDX. Inter *Andreottæ* successores *Constantinus* Prothonotarii, & Tripis etiam Baro effulsit, jugali vinculo Violantæ Campagnæ sociatus, quorum filius *Dominicus Gualteris* Dux Philippi IV. rescripto MDCXXV. evasit. *Franciscus* ex co progenitus cum Anna Graffeo ex Partanę Principibus *Elisabethæ* pater effectus est. Huic *Gaspar* avunculus litem intendit, ob vinculum ab Alphonso appositum, & anno MDCXXXVII. in judicio obtinuit. A cujus morte sine filiis, *Elisabetha* in possessionem inducta, *Dominico Graffeo* Partanæ Principi, conjugi dynastias assignavit; unde *Benedictus* Joannæ Filingeriæ adjunctus. *Hieronymus* ex his procreatus, XII. Regni Vir, Panormi Prætor, Caroli VI. Cæsaris Aulicus, Lauræ de Gruæ maritus, ad annum MDCCXLIX. vixit, post quem *Benedictus Maria Graffeus* primogenitus suffectus est Partanæ Princeps, Ciminnæ, & *Gualteris* Dux. Fulget S. Joannis Eques, uxoremque accepit Pellegram Statellam, ex qua Hieronymum tulit. *Gualteris* ager oleis, ac moris, vinetis, frugibusque abundè dominis respondet, colonosque ditat. Ferunt olim de parochia S. Luciæ opidum fuisse.

GUARDIA Jojusæ Vicus. Vide *Jojusa*.

GUARDIA Opidulum olim, in quo diu Eleonora Regina, Friderici II. uxor vixit; unde ad proximum S. Nicolai de Arena Benedictinum Cęnobium, uti Divinis rebus vacaret, sępissime remeabat. Ætnæ incendiis majori ex parte vastatum, nunc reliquias ostentat, præque aliis Cisternam a Regina appellatam.

GUELPHONIA Arx, olim maxima, ac Regia Messanensis, vulgo *Mategryphonis Castellum*, urbi ad occasum impendens, operibus, sed ad veteris architectonicæ leges instructa. Vetustissimæ creditur originis, Pœnisque in Sicilia bella gerentibus extabat, uti ex Polybio colligunt. Cisternam ostendunt antiquam, cum variis e marmore ornamentis, superstitiosas gentilium fabulas exprimentibus. Hanc Arcem suo incolatu Aragonenses Reges, ac præ cęteris Constantia Regina Petri uxor, nobilitarunt.

GUIDOMANDRIS Opidulum, *Oleomandris* vulgo, supra Freti oram ad australes Messanensis ditionis plagas, IV. circiter lapide ab urbe, cujus dynasta in Regni Comitiis loco XXII. assidet. Major Parochialis ædes Deiparæ Annunciatæ addicta sub Sacerdote Curato, aliam habet filialem; ad littus vero cum aliquot focis S. Mariæ de Laureto assurgit Ecclesia. Totius porro opidi lares descripti sunt elapso sæculo 83. incolæ 336. hodie illi 78. animæ 392. in censu veniunt. Ad Scalettæ Principes dominium spectat civile, absque gladii usu; Spiritualia verò jura Messanæ Archiepiscopo committuntur. Obnoxium quippe cum Artalia ex parte, domui hospitali S. Joannis Jerosolymitani quum esset, *Salimbenius Marchisius*, Scalettæ dominus, Schittini feudum in agro Paternionis Joannitis attribuit, ipse sibi integra Casalia vindicavit. *Claromontanis* fuisse subjectum prodit Barberius; hinc sub Martino Rege *Nicolaum de Pactis* cum Scalectæ Pręfectura tenuisse lego, uti de Scaletta loquens reponam.

GURRIDA Lacus in Randatii agro, ambitu stadia penè IV. in circuitu patens, fluentum excipit ejusdem nominis, ipse verò per occultos meatus alibi aquas suas deponit, atque, uti credunt, Catanam us-

que

que subterlabitur, ibique Amenanum gignit: *Gurrida*, inquit Maurolycus, *Sic: Rer: lib*: 1. *fluvius est in Randatio, qui ibi absorptus, in Catanensi urbe subterlabitur*. Lacus porro æstivo tempore evanescere magna ex parte videtur, quumque aquis exuberat, Amenanus Catanæ ruptis venis exundat, uti sępissimè mea etiam ætate observatum. Quod alibi in *Catana Illustrata* fuse expendi.

GYPSUM, Opidum olim Sarracenicum IV. pass. M. a Messana in septentriones disjunctum, a Rogerio Comite strenuè occupatum in protenso dorso, Siculo ore *Serro*, sedet. Ex municipiis est Messanensibus, ac post S.Rizzi juga occurrit, occasum versus, subjectumque littus aquilonare habet. Arx vetusta fatiscens ad austrum surgit; Parochialis Ecclesia *S.* Antonii titulo, medium penè occupans opidi, sub Sacerdote *Curato* animarum curam habente, Archimandritæ cum reliquis IV. minoribus subditur. S. Francisci de Paula Conventus ab anno MDCXXIII. ortum recognoscit, ac decentibus instruitur ædificiis. Extra Capuccini degunt, MDLXXXIV: huc vocati, habentque instituto aptissimum cœnobium. Lares præsenti sæculo 901. animæ sub Sabaudiæ Duce 1145. sed nuper 998. descriptæ sunt, elapsis autem sæculis *Gypsi* census apparet nullus. Jus gladii illius administri non habent; hos enim uti dominus temporalis Abbas S. Gregorii deligit, de quo actum. Philippus a *Gypso* S. Francisci de Paula alumnus vitæ innocentia, & sanctimonia clarus, variisque a Deo prodigiis illustratus, patriæ decorem conciliat. Ager juxta soli naturam, oleas, vites, morosque abunde sufficit; fruges quæ incolis sat sunt, ferre solet, & illorum laboribus respondet.

HA-



ADRANUM Opidum. Consule *Adranum*.

HALÆSA Opidum. Vide *Alęsa*.

HALUNTIUM Opidum. Vide *Aluntium*.

HELICON, Fluvius Oliveris. Ex fonte Pulvirello pass. M. V. supra Montem Albanum, ejus est prima origo; augeturque fontis Largimusci aquis, quæ III. pass. M. ab eodem opido exurgunt; confluxus autem amborum amnium est, ubi ędes sunt Regię a Friderico II. ad sedandam olim podagram, juxta Villanovensis Medici consilium, extructę; amnis itaque ex his coalescens, dilapsus ad dexteram Montem Albanum relinquit, ac sub opido molas volvit triticeas, subindeque alia sibi adjungens fluenta ex vicinorum collium jugis, vallibusque decurrentia, *Oliverim* arcem pręfluit, cujus suscepto nomine, in mare sese statim exonerat. Ptolemęus post Tyndaridem Heliconis ostium rectè locat: *Tyndarium, Heliconis fluminis ostium, Mylæ* &c. Est porro a Ptolemęo prę aliis celebratus, quia omnium hoc littoris tractu maximus; trahjicitur autem lapideo ponte haud procul ab ora.

HEPHÆSTIADES Insulę, ideſt *Vulcaniæ*, Vulcanus enim Græcis *Ephęstos*. Vide *Liparæ*.

HERACLEOTES Insula, *Basiluzzus* vulgo, Latinis *Herculis*, de qua jam dixi.

HERÆI Montes, unde Chrysam oriri tradit Vibius. Fazellus *Aereos* perperam appellavit, ab altitudine id montibus vocabulum appictum credens. Cluverius *Junonios* dicit ab Junone, quę *Hera* est Gręcis nominata. Diodoro describuntur lib. 14. his verbis: *Sunt in-*

in Sicilia Heræi Montes, quos amœnitate, natura, ac situ peculiari ad recreationem, & voluptatem æstivam perquam opportunos esse dicunt; multos quippe fontes habent, aquarum dulcedine præstantes; arboribus omnis generis referti. Magnarum ibi quercuum copia est, quæ eximiæ magnitudinis fructum, duploque majorem, & copiosiorem alibi terrarum nascentibus producunt. Hortensi quoque fructu abundant, & vites ibi sponte proveniant, malorumque ingens est ubertas...... In hac regione convallis quædam arborum, Divinum habens decorem, & dicatus Nymphis lucus existit. Ibi Daphnim Mercurio nymphaque genitum esse produnt, cui laurorum illic multitudo, ac densitas nomen peperit. Hęc Diodorus, qui eos sibi minime visu compertos affirmat; Nam *opportunos ad voluptates æstivas* dici ab aliis, testatur. Non unus porro tantum esse montis vertex colligitur, qualis est Ætna, vel Eryx, vel Ercta, uti Cluverius advertit; qui ingentem *Heræos* occupare terrarum tractum longe, lateque diffusum prodit, ab opido Platia, ubi fontes Gelæ, ad Noaram, inter Tauromenium, & Pactas, ubi Neptunio, seu Peloro *Heræi* conjunguntur. Verumenim vero & si *Heræos* juga habuisse complura, vallesque non inficior, tam longe, ac late extensos, atque ad L. circiter pass. M. tractum occupasse, ex Diodori verbis neutiquam colligo. Quis enim dixerit Carthaginiensium exercitum, qui fame laborans Hereorum fructuum copia est recreatus, licet tot inter millia profusa, exhaurita non fuerit, uti idem Diodorus scribit, quis inquam putaverit dispersum adeo, tot diffitis in locis consedisse bello ingruente? Mons igitur multis se subrigens jugis, vallesque in se continens, licèt fuerit *Heræus*, adeo ut plurium nomine illum Diodorus vocaverit; nimis

incon-

incongrue insulam penè mediam occupasse creditur. Quod si Nebrodi, seu Maroni, hodie Madunia, est vertex multiplex, vallisque in centro amplissima, fontibus, quercetis, platanis, arboribus, aliisque deliciis referta, cur alibi *Heræi* montes quærantur, satis non dispicio. De Nebrode infra.

Scio præter expensam Cluverii opinionem alias, esse scriptorum, de horum collium situ sententias. Fazellus enim *Montiforos* inter Troynam, & S. Philadelphum surgentes colles, *Heræos* olim denominatos affirmat; & congruit aliqualiter appellatio, neque naturæ dotes ab Diodoro descriptæ in illis desiderantur. *Montes Lisiæ* ad Ragusiam amœnissimos, & fertilitate præcipuos Caraffa, Ragusa, Mazara, Notus, & Bonannus, aliique pro veterum *Heræis* evulgant. Hinc Hybla Heræa prope stabat. Vigintimillius Vibii Sequestri authoritate motus *Artisinum*, unde Chrysas fluvius ex *Heræis* unum esse substinet. Bagolinus in *Bonifato* monte supra Alcamum recognoscit; Archangelus denique, & Carrera Diodori textum insulse corrigunt, *Ætnæosque* montes, non *Heræos* esse appellandos tradunt. Tot inter discrepantium placita, meum certo certius proferre judicium non audeo, sed animus ad *Nebrodem* inclinat, quem integro die lustravi, *Heræosque* in eo mihi objectos, uti conjecturæ suadebant, putavi: Himera amnis, fontes in eo habet; Poetis aliunde Daphnidis mors in *Heræis* educati, ab Himeræ Nymphis defleta effingitur, veluti Pastoris propinqui. De his alibi fusè scriptum.

HERBITA Urbs vetus a Fazello, & aliis ab Aydone haud procul, loco, quem hodie appellant Cittadella, sita vulgatur. Ultra Nicosiam aquilonem versus Ego alibi statui, ubi postratæ urbis cadaver adhuc

adhuc ex reliquiis videtur, & Casalinis nomine venit. Ex ejus hinc ruinis Nicosiam crevisse tradunt Cluverius, Aretius, & Cajetanus, a quibus non longè S. Mariæ de Gratia, vulgo de *Vaccara* ruralis hodie Ecclesia dissidet, ad *Herbitam* spectans, ubi Ordinis S. Benedicti fuisse Cęnobium tradunt. Cluverii verba retuli in notis ad Fazellum, quibus clarissimè evincitur, *Herbitam* prope Nicosiam stetisse. Ex ea deductas fuisse colonias Diodorus affirmat lib: 12. & 14. sub Archonide *Herbitæ* Præfecto, conditasque in aquilonari littore Alæsam, & Calactam, cui postremę Ducetius etiam Siculorum Rex manus adjutrices admovit. Constat autem inter Nicosiam, & Alæsam, Calactamque nonnisi xxx. pass. M. intercedere, nullo alio occurrente opido; facile hinc fuisse *Herbitensibus* colonias suas maritimas tueri. Contra si ad Aydonem locaveris, Centuripinorum, Agyrensium, vel denique Ennensium, celebrium tunc civitatum permeandi *Herbitensibus* fuissent fines, ut ad Calactam, Alæsamque contenderent.

Cœterò florentem, lateque imperitatem Civitatem *Herbitam* satis illud evincit, quod ab Dionysio potentissimo Syracusarum tyranno expugnari nequiverit. Diodorus eodem lib:. 14. *Castris inde*, ab Enna scilicet, *promotis, Herbitensium urbem oppugnare aggressus est; sed quum res non succederet, pace cum illis inita, copias adversus Catanam duxit.* Nec multo post: *Archonides, Herbitæ Præfectus, postea quam populum Herbitensium pacem cum Dionysio firmaverat, novæ urbi condendæ animum adjecit; Mercenarios quippe complures habebat, & promiscuam in urbe turbam, quæ belli Dionysiani metu eo confluxerat.* Tyndaritanis præterea populis, tunc longe inter Siculos, pol-

lentibus, eodem Diodoro teste, fędera conjunxit. Hinc Ephoro, Stephano, Ptolemæo, Plinio, & Ciceroni pręter Diodorum celebratur; quamvis ex his Ptolemæus inter Agyrium, & Leontinos, sive inter Centuripas, & Menas illius situm decernens, Maurolyco, Fazello, Pirro, & aliis imposuerit, uti *Herbitam* ad Aydonem, ubi *Citadella*, collocarent; quod superius innui. Cicero autem Verr: 2. 3. 4. & 5. *Herbitenses* laudat, eorumque agrum Prætoris avaritia vastatum, cum aliis conterminis Alæsino scilicet, Cephalæditano, Thermensi, Amastratino, & Tyndaritano dicit. Celebritatem denique maximè illis indicat verbis: *Videmus Herbitensis Civitas honesta, & copiosa, quemadmodum spoliata ab isto, & vexata sit*. Philinumque illius civem eloquentia, & nobilitate insignem memorat. Perstitit Christianis temporibus, atque ex illa ortum habuisse S. Leonem II. Pontificem Maximum passim tradunt. Quo porro fuerit ęvo excisa latet; nisi Paulo Diacono deferre velimus, qui *Herbitam* a Sarracenis an: DCCC. disjectam, una cum præcipuis Mediterraneis insulæ opidis evulgat.

HICESIA Insula una ex Æolicis a Ptolemæo, sed ultra VII. enumerata. Hæc nulla alia creditur. Cluverio, qaam, quæ vulgo nunc vocatur *Panaria*

HIERA Insula ex VII. Æoliis, *Vulcania* aliter, eo quod Vulcano Sacra fuerit, *Hiera* Græcis appellata: Pomponius Sabinus in 1. lib. Æneid: *Therasia postea Hiera, quia Sacra Vulcano, colle in ea nocturnas evomente flammas*. Mela lib: 2. cap: 7. *Circa Siciliam insulæ* VII. *quas Æoli appellant. Osteades, Lipara, Didyme, Phœnicusa, Ericusa, Hiera, & Strongyle*. Isidorus Orig: lib: 13. cap: 6. Æolias enumerans: *Primam Liparas quidem Liparus vocavit; Altera*

tera Hiera vocatur , quod sit collibus eminentissimis; Ideft, uti apud Solinum rectius habetur: *Hiera Vulcani insula, quod eminentissimis collibus ardeat*. Eustathius in Odyss. lib: 10. *Æolia, in qua fuit Æoli regia, Strongyle, Didyme, Hiera, Lipara*. Marcianus denique. *Insulæ* VII. *quas vocant Æoli, quarum una haud abs re dicitur Hiera; ardentes quippe ex ea apparent ignes*. *Hiera* hæc noſtra altera ab illa, quæ hodie *Maretimus*, contra Drepanum jacet.

HIERACIS Opidum *Jeracium* aliter, & Siculis *Giracis*, a Greca dictione *Jerax*, quę Latinis *Vultur* sonat, appellatum, quod ibi forte vultures nidificent; in prærupti undique collis vertice situm poſt Engyum, circa extremos Nebrodis montis tumulos ad ortum, & ſeptentriones exurgit; Comitatus olim teſſera clarum, primumque præ aliis, novo ad ea uſque tempora in Sicilia titulo, Marchionatus honore ob ingentia Joannis Vigintimillii merita donatum. Arx in supremo clivo ad hibernum occaſum ſubrigitur ſatis ampla, natura, & arte dudum munitiſſima; Męnia circum, & porta ad orientem vel maximè æſtivum vigent, quâ plaga aliis collibus adjunctum opidum facilioris eſt aditus; Quod autem Rogerium Comitem arx habuerit conditorem, opuſque ejus turrim ſaltem fuerit, mox audies. S. Bartholomæi Apoſtoli Eccleſia unica eſt parochialis, ſedetque loco conſpicuo cum communi Sacerdotum cętu, cui Archipresbyter præeſt, ac aliæ x. minores ſubduntur. Pro ſacris Viginibus clauſtra ſub Benedictina regula intra pomęrium ſpectantur; extra in proxima męnibus area Auguſtinienſibus Centuripinę Congregationis, elapſi ſęculi initio, S. Bartholomæi datum eſt Templum, in cujus meridionali pariete loculus anguſtiſſimus oſtenditur

cum tabella, in quo celebris Francisci I. Comitis exuviæ conduntur; Minoribus Capuccinis in ima valle prope fluminis fontes ad occasum æstivum ab anno MDLXXXIX. Cœnobium designatur. Domus denique Hospitalis in opido pauperes excipit infirmos,& peregrinos

Hieracim Messanensis Diœcesis, Politii Comarchia, & Militaris S. Philadelphi præfectura comprehendit, cui equites v. pedites XLI. *Hieracenses* inserviebant. Lares numerabantur sub Carolo V. 977. incolæ 3125. Sequentis sæculi medio foci 860. capita 3219. Anno MDCCXIII. in focis 807. opidani descripti sunt 2732. nuper 3010. Ejus Dynasta Primum *Dei Gratia* Italiæ Comitem, & Siciliæ Marchionem se nominat. Et dudum quidem unicus inter insulæ proceres eo titulo gloriabatur; in publicis hinc tabulis, ac diplomatibus Comites omnes Siculi, & Marchio, *Hieracensis* videlicet, quum mandata essent Regis indicenda, vocabantur, uti in Regni Capitulis fit palam. Ager amplissimus, si ditionem Marchionatus universam spectaveris, patet; commendatur autem ab oletis, vineis, sylvisque fraxineis, ubi gummis Manna provenit ubertissimè; a frugibus præterea, oleribus, atque arboribus fructiferis, quæ necessaria incolis sufficiunt; a nemoribus denique, & pascuis pecori gratissimis, quibus verveces nutriuntur, tota ea regione celeberrimi. Prioratus S. Mariæ de Cava, olimque Monasterium, eodem agro concluditur, pingui dote a Francisco II. Comite locupletatum; cujus hodie ad Marchiones spectat præsentatio. Illustravit patriam Joannes Maria *Hieracensis* ordinis Capuccinoram,qui graviores scientias suis tradidit, sed impensius virtutum studio incumbens, ab assiduo, ac pene non interrupto orandi exercitio, ac prudenti suorum regimine pri-

primariis in provincia muniis laudabiliter gestis, ac regularis demum observantiæ zelo se commendavit. Nicosię nonagennario major piissimè, uti vixerat, decessit MDCXL.

Sunt, qui *Hieracim* Trinaciæ successisse, vetustissimæ inter Siculas, ac præcipuæ urbi, autumantur. Nec Maurolycus abnuit; Verumenim vero, quum Diodorus lib: 12. apertissime Trinaciam haud procul a Palica, Menisque constituere videatur, uti Tom: 1. auditum, non est quod illorum opinioni, hic deferam. An Gręcos habuerit authores, seris tamen temporibus, antequam Sicilia Sarracenis cesserit, si nominis legitimum est etymon, non inani conjectura suspicari quis posset; sed certi aliquid promere non audeo. Ab Rogerio expugnatum opidum, magnaque vi subactum tradunt, ac *Serloni* fratris filio in clientelam datum, ob strenuam prope Ceramim sibi navatam operam, anno MLXXII. addito Comitis titulo, Siculi perhibent Annales. Bonfilius Sic: Hist: parte 1. lib: 4. alterum esse *Hieracium* in Calabria minime advertens, Robertum Ducem Rogerii Comitis fratrem ab *Hieracensibus* detentum ex Malaterra lib. 2. inducit, & ab Rogerio mox liberatum, quę sanè de nostro nusquam Malaterra promere somniavit. Quum porro *Serlo* per insidias a Sarracenis circumventus, mortem gloriosè oppetiisset cum suis, In rupe, ab ejus casu *Serlonis* appellata, hodieque de *Sarno* dicta, N. ejus uxor, Rodulphi Bajanensis Comitis filia, *Engelmaro* gregario militi, sed strenuo, Rogerii jussu cum *Hieracis* dote nuptui datur. Verum non diu illo ab officiis recedente, Comes ad se opidum revocavit.

Engelmari defectionem idem Malaterra lib. 3. cap. 31. prolixè enarrat; paucis Ego illam referam. Quum apud H*ieracim* nuptiis sollemni pompa celebratis

bratis, ubi Comes turrim firmaverat, domum munitam paulatim provehendo, *Engelmarus*, interdumque dissimulando in turrim fortissimam evexisset, civesque ad se alliciens, ac fœderibus interpositis amicitias cum illis jungens, Comiti in suspicionem venisset, mandat hic, ut ædium turrita fastigia demoliantur. Renuit Comes incolarum fisus auxiliis; nec minus hi, quibus, ut turrim solo æquarent, captumque *Engelmarum* traderent, jussa dederat, obsequentes fuere. *Omne enim*, ait Historicus, *genus nostræ gentis illis invisum erat, & magis discordias inter nostros, quam Pacem fieri expectabant*. Ex quibus eruo, tunc Sarracenos adhuc, majori ex parte *Hieracim* tenuisse. Admoto igitur exercitu opidum Rogerius præmit, quod opidani advertentes, a stulto proposito deficiunt; territusque *Engelmarus*, ne in Comitis manus incideret, clam discedens, profugit. *Uxor autem ejus ad misericordiam Comitis veniens, pia recordatione Nepotis, cujus uxor fuerat, salvis omnibus, quæ habebat, ad maritum conductum meruit. Comes vero reconciliantibus Græcis, Geracium recepit.* Quod turrim disjecerit, Historicus non prodit, firmare hinc nolim.

Tulerat *Serlo* filiam ex Conjuge, *Eliusam*; hanc igitur cum *Hieracensis* Comitatus dote *Rogerio de Barnavilla*, Castrinovi domino, Comes uxorem designat, qui Raynaldo, & Rocca filiis cum ea procreatis Boemundi, & Tancredi socius effectus, in Palæstinam ad sacrum properans bellum, ibi a Sarracenis occisus in S. Petri Antiochiæ MXCVIII. sepultus mansit. *Raynaldus* turbatis aliquando *Siciliæ* rebus, bonis expoliatur; mox vero *conciliantibus primoribus*, uti Malaterra loquitur, rursus *Hieraci* est donatus. Hic S. Mariæ de Palatiis cœnobium in agro Tusano conditum,

tum, Pastensi Monasterio concessit, ac sine prole tandem mundo valedixit. *Hugo de Creone* Rogerii Regis consanguineus, & familiaris *Hieracim* ex diplomate Troynę scripto accepit, quem *Guidonem* in aliorum scriptorum Genealogiis appellatum opinor, Comitem Imperialem, necnon ex uxore *N. Vigintimillia*, eo nomine decoratum, exceptumque ab *Vuillelmo de Creone* filio, aliis *Vigintimillio* dicunt. Nupsit hic *Roccæ Barnavillæ* Rogerii, & Eliusæ filiæ, ne scilicet Parentum, & fratris jure in *Hieracim* debito, hæc privaretur. Id conjugium diploma Agrigentinæ Ecclesiæ anno MCXLII. exarato prodit, ubi subscribit: *Rocca Rogerii de Barnavilla filia, quondam uxor Vuillelmi de Creon cum filio meo Rogerio*; apud Pirrum lib: 3. Not: 3. Igitur *Rogerius Creonensis* aliquando, & *Hieracis* Comes insuper vocatus, ille est, qui audita Messanensium defectione, & ipse a Villelmo II. descivit, opida sua muniit, Cephalędenses in suas adduxit partes; mox vero in Regis, & Reginæ matris gratiam receptus, Regni curam gessit, Falcando, Capicio, & Fazello memoratus. Ejus unica proles *Guerrera*, seu *Guarneria* Comitatus limites Henrici VI Cæsaris & Siciliæ Regis authoritate describendos MCXCV. curavit, sacrisque vinculis *Alduino* generis præclarissimi viro adjuncta vixit.

Deduxit *Alduinus* genus suum ab Rege Langobardorum Desiderio; Isclæ majoris, & minoris, ac Procidæ insularum dominus fulsit, duasque fœminas ex *Guerrera* tulit, Regalem primogenitam, quæ innupta decessit, & Elisabetham, uti ejus Testamento constat MCCXXXII. quod authographum vidit Carolus Vigintimillius, Pirro teste. Verum hic Carolo non consulto, *Alduini*, & *Guerreræ* filium obtrudit *Rogerium*,

rium, ex Rogerio Alduinam II. huic demum *Elisabetham* successisse tradit. Quin *Rogerii Creonis* gesta *Rogerio* nepoti appingens, quem ex *Guerrera* natum evulgat, hunc sub Guillelmo regni gubernaculo admotum etiam statuit; Matrem vero *Guerreram* sub Henrico effloruisse scribit. Denique LXX. annorum circiter spatio quinos Comites in medium profert: Rogerium Roccæ maritum, Guerreram Alduini uxorem, horum filium Rogerium, rursus alium Alduinum anno MCCXXXII. fato functum, & Elisabetham hujus secundo loco genitam, quæ omnino incongrua videntur; ac verosimilius apparet, *Elisabetham* Ictiæ, & *Hieracis* Comitissam, ex *Alduino*, & *Guerrera*, uti innui, exortam, cum Guillelmi Vigintimillii filio *Henrico* thalamum anno MCCL.. circiter conscendisse. Hujus porro Guillelmi genus perperam quoque Pirrus exponit, uti Rogerius Vigintimillius, sub *Insensibilis* larvato nomine, pluribus ostendit in *Hieracensium Comitum Genealogia*.

Guillelmus enim Comes Vigintimillius Januæ oriundus, quem *Henrici* patrem Pirrus dicit, cum Suevo Henrico Cæsare in Siciliam delatus, Irenem Lascaris Imperatoris Byzantini filiam non ante annum MCCLX. uxorem duxit, Bzovio authore num: 2. & Bosio de *Relig: Jerosol: par:* 1. *lib:* 22. aliisque. Surita Irenem eamdem ex Guillelmo viduam tribus cum filiis fœminis in Aragoniam anno MCCLXXV. concessisse testatur *Ann: Aragon: lib:* 4. *cap:* 5. *Tom:* 1. & rursus lib: 5. cap: 105. Tom: 2. Foglietta, Justinianus, & Bizarrus Hist. Januen: patria ejectum eumdem Guillelmum anno MCCLII. produnt. Alius igitur Guillelmus Vigintimillius Henrici pater, Elisabethæ socer. Raymundus de Soliers de Antiq: Marsilien: cap: 66. Vigin-
timillium

timillium in Sicilia progenitorem, Guillelmum Marsilia oriundum proponit Friderici II. Cęsaris & Siciliç Regis Familiarem, nec abnuunt Joannes, & Rogerius ejusdem familiæ in *Genealogiis*. Michael de Platia, Paruta, Sanchetta, Zazzara, Maurolycus, & Siculi penè omnes Vigintimillios Siciliæ indigenas, atque ex Northmannis deduxisse originem veteri traditione innixi substinent; laudatusque *Insensibilis*, quæ vulgo circumferuntur de xx. millibus Sarracenis in Nebrodis, seu Madoniæ jugis a Balduino, aut alio ex Northmannis dynastis, solis equitibus M. stipato, ingenti internicione deletis, unde prosapiæ cognomen adscitum, non improbat. Utut res sit, Guillelmi Vigintimillii mentio in Manfredi Regis diplomate, quo Fridericum Lanceam in Sicilia Vicarium suum deligit anno MCCLVIII. clarissime extat, & aliorum ejusdem gentis illustria monumenta per eadem tempora in Annalibus perseverant.

Octavus igitur a *Serlone*, si deferimus *Insensibili*, sed juxta Pirrum x. *Henricus Heiracis* Comes, uti Elisabethæ vir, a Manfredo Rege MCCLVIII. utriusque Petraliæ opida obtinuit, quæ de Comitatu idcirco *Hieracensi* evaserunt. Ejus ad annum ejusdem sæculi LXVI. apud Villanum, & Suritam se offert memoria; Ajunt enim Manfredum præcipitanter adversus Andegavensem gessisse bellum, nec *Henricum Vigintimilium*, qui Siculis stipatus militibus suppetias illi ferebat, expectasse. Subdit Pirrus, quod uti Siculi exercitus Dux strenue *Henricus* contra Andegavensem pugnaverit, obiitque relictis filiis Alduino, & Francisco. Verum Nicolaus Specialis lib. 4. cap. 9. *Henricum* duriter Engyum ditionis suæ opidum obsedisse scribit, atque expugnatum solo æquasse, quod contra

ipsum, & Fridericum Regem defecisset, quod etiam Surita affirmat. Alduinus aliunde juxta Palinurum, ubi Jacobi Regis triremes naufragium sunt passę, an: MCCLXXXIX. periit; superstes itaque filio Alduino Henricus fuit; Fridericus namque Jacobo fratri successit. Sed & *Insensibilis* totus est, ut evincat Franciscum Alduini filium fuisse. Henrico itaque *Franciscus* ex filio nepos successit, cunctaque Avi bona assecutus, summus Hierarcha evasit, & Ischiæ majoris, *Hieracisque* Comes est dictus. Hic vero Comitatus utrasque Petralias, Engyum, Castellum Bonum, S.Maurum, Tusam, Castellucium, Gratterim, Caroniam, Sperlingam, Pitineum, Pollinam, S. Georgii Castrum, & Albiri, Rahalsuttanum, Belicem feuda, aliasque complectebatur dynastias. Constantiam Joannis Claromontani, Motycę Comitis sororem habuit thalami sociam, cum qua ob sterilitatem, divortio celebrato MCCCXXXV. ad secundas cum Margharita de Cunsulo nuptias convolavit; Ex eaque filios suscepit *Emmanuelem* in *Hieracensi*, & *Franciscum* II. in Colesani Comitatu hæredes constitutos. Egregia illius gesta habes in Historiis, uti & infelicem exitum sub *Hieraci*, quum contra Petrum II. Regem opidum diu tutasset.

Perduellionis reo ab eodem Principe Francisco declarato, ac ejus filiis, Comitatus in Regiam potestatem devenit, atque Elisabethæ Reginæ pro dotis munere designatur; At ubi Ludovicus Petri filius fidem promeritaque *Francisci* senioris cognovisset, illius filios in gratiam receptos paternis bonis anno MCCCLIV. donavit. *Emmanuel* autem, cui Hieracensis ditio, uti dixi obtigerat, sine prole decessit, hinc post eum *Franciscus* II. Michaeli de Platia *Franciscbellus* vocatus, sufficitur, qui Thermas, & Cephalędim urbes a Fri-

a Friderico III. insuper impetravit, Isnellum emit, & Roccellæ castrum ab Episcopo Cephalædensi concessum tenuit. Gessit & ipse Siculę Reipublicę curam, ac pietate insignis enituit; Copulavit sibi Elisabetham Nicolai de Lauria filiam, ex qua filios, filiasque tulit, *Henricum* præ cęteris in *Hieracensi* Comitatu successorem, & Antonium, cui Colesanum, utrasque Petralias, Gratterim, Roccellam, Isnellum, Caroniam, Belicem, & Thermas reliquit. Ille ex prima uxore Constantia Rubea prolem tulit nullam, qua mortua, ex secunda Bartholomæa Aragonia *Joannem* sortitus est filium, cui adhuc infantulo Agatha de Prades ex Jaymo orta, Martini Regis voluntate, fuit uxor destinata.

Joannes bello, & pace clarissimus, primus *Hieracis* Marchio, Alphonsi Regis præscripto MCCCCXL. Siciliæ iterum, Neapolis semel Prorex, Magnus Talassiarcha, Montis Sarcii in Calabria Comes, aliisque titulis celeberrimus, ex Agatha *Antonium*, & Ferdinandum filios agnovit. Vixit ad ultimum senectutem, sepultusque in S. Francisci Castelli Boni, dignissimo sepulchrali elogio est decoratus, quod exscripsit in *Siciliæ Tabulis* Gualterius. Paterno ex testamento *Antonius* MCCCCLXXIII. Marchio renunciatus, cum Margarita de Claromonte conjuge *Henricum*, & Mariam genuit. Hæc Artali de Cardona cum dote Pitinei nupsit. *Henricus* Regni Vicarius, & Talassiarcha evasit, atque Eleonoram Petri Cardonæ Colesani Comitis sororem thori sociam habuit. Ob initum cum Petro singulare certamen anno MCCCCLXXXI. perduellis declaratus, bonisque exutus, apud Ferrariam exul occubuit, cui filii *Philippus*, & *Simon* superstites fuere. *Philippus* in Ferdinandi Regis gratiam restitutus, Mar-

chionatu, cęterisque paternis bonis MCCCCXC. donatus, absque liberis mundo valedixit; ejus hinc frater minor *Simon* novo Principis diplomate MD. in Marchionatus possessionem immittitur. Fulsit Sicilię Prorex, ac post VII. cum uxore Elisabetha Moncata liberos procreatos, honoribus se sponte abdicavit, & Sacerdotio initiari voluit. Denique torrentis aquis sub Tauromenio absortus, vitam amisit. Quem filius *Joannes* excepit MDXXVII. Elisabethæ Moncatæ, ex Aytonæ in Hispania dynastis, conjugii vinculis adstrictus; unde *Simon* Messanæ Strategus, Proregis in Valle Demana Vicarius, Mariæ Vigintimilliæ Ciminnæ, & Sperlingæ dominæ vir, & Carolus Nasi dominus. Simon porro filium *Joannem* tulit, qui & ipse Messanensis Strategus, Proregis vices in Netina, & Mazarę Valle gessit; hinc Regni Præses per triennium, rursusque ad annum claruit, & primus Castelli Boni Princeps est dictus. Nullam peperit illi prolem Anna Aragonia Tagliavia, nec Dorotea Brancifortia altera uxor; Caroli idcirco filius *Joseph* ad dynastiam assequendam vocatus, ex Anna Antonia de Aragonia *Franciscum* suscepit, qui Regni XII. Vir, Tribunus equitum, Proregis non semel Vicarius fuit, & cum Maria Spadafora *Joannem* procreavit, Siculi equitatus supremum Imperatorem, Felicis Marchisiæ Scalettæ Principis nuptias, & amplam adeptum hęreditatem; necnon *Hieronymum*, qui sub elapsi sæcuii exitum *Hieracis* Marchio evasit, uti reponam.

Joanni enim, & Felici jam laudatis filii obtigere *Franciscus Rodericus*, *Blascus*, *ac Rogerius*. Primus anno MDCLXXVI. a patris morte inauguratus, Catharinam Pignatellam uxorem sibi adscivit, ex qua *Joannem*, & *Hectorem* est assecutus, puerilibus annis sublatos.

latos. *Blascus* Roderici filiam Felicem sibi adjunxit MDCLXXXIX. sed fatis mox concedens, fratrem *Rogerium* hæredem reliquit. Huic se opposuit Felix, secundis nuptiis cum Urbano, Barberino Palęstinensi Principi contractis, præferri postulans; Sed causâ Matritum usque delatâ, in supremo Italiæ Consilio *Blasci* favore sententia cessit. Verum hic pacis, & belli artibus imbutus, eruditione, prudentia, aliisque virtutibus insignis, brevi etiam, conjuge nulla admissa, e vivis abiit. *Hieronymo* idcirco delatus, agnatitii vinculi jure est Marchionatus. Ex eo, & Joanna Corvino *Franciscus* MDCCVII. Marchio dictus, Hieronymæ Catherinæ de Joanne copulatus, quorum filius *Joannes* altero lustro Marchionatum assecutus, a Carolo VI. Cæsare Princeps S. Rom. Imperii, cum Celsitudinis titulo, & cudendi monetas facultate, suis in ditionibus privilegium anno MDCCXXIII. obtinuit, Hispaniæ Magnatibus Philippi V. rescripto, Equitibus SS. Annunciatæ Victorii Amedei Sabaudiæ Ducis beneficio, & S. Januarii Caroli Regis nostri diplomate accensus; supremus denique Siculi Consilii apud Regiam Curiam Præses MDCCXXXVII. adlectus, & a Consiliis insuper Status, ad annum MDCCXLVIII. omnibus ob morum facilitatem, comitatemque non vulgarem, atque in Deum religione charus Neapoli vixit. Ubi & mortale exuit. Ex Livia Sanseverina, Bigsinani Principis filia, & Montis Mileti Principis vidua, *Aloysium Rogerium* suscepit filium, qui paternas dignitates, & dynastias hodie tenet; improles tamen tum ex prima Maria Teresia Moncada, cum ex secunda uxore Rosalia Romano-Columna in vivis agit. *Hieracis* longitudo grad: XXXVIII. latitudo XXXVII. L. computatur.

HIPYRRA Fons. Consule *Ipyrra*.

JACIS



ACIS Opidum. Vide *Acis*.

JAMPILERIS Opidulum inter Meſſanæ municipia ad meridiem in valle ſitum, cujus eſt aſpectus, orientem verſus Regiæ viæ reſpondens. Major ſacra ædes S. Nicolao Epiſcopo dicata cum æris campani turri eminet, & S. Brunonis minor alia Eccleſia ad Cartuſianos S. Stephani de Calabria ſpectans haud procul aſſurgit. Frequens eſt laribus 189. incolis hodie 754. qui in ultimo cenſu de anno MDCCXIII. fuerunt 685. Animarum cura Archiepiſcopi Meſſanenſis Vicario committitur. Ducatus teſſeram tulit Caroli II. beneficio *Ugo Papè* Chriſtophori filius Regni Logothetæ. Illi ex uxore Camilla Montaperto filius obtigit *Joſeph*, Primus Valdinæ Princeps; hinc *Dominicus* frater titulum MDCCXV. eſt aſſecutus, a cujus morte *Joſeph* rurſus *Jampileris* Dux eſt appellatus, quem filius *Ignatius* excepit, hodie Logotheta, vir clariſſimus, integritate in exercendo munere nulli ſecundus.

JARDINI Statio ſub Tauromenio ad auſtrum. Vide *Viridaria*.

IBISUM Opidum. Conſule *Gypſum*.

ICESIA Inſula inter Æolias a Ptolemæo enumerata. Vide *Hiceſia*.

ILICIS Mons ad Ætnam ſpectans, circa meridiem, ſupra Viggrandis opidum, nomen ab Ilicibus invenit, quibus conveſtitur. Crater, ſeu Concha in ſupremo vertice iis vel maximè tota denſiſſimè occupatur, feriſque, & avibus ſecurum præbens perfugium venatoribus frequens eſt, & jucunda; Latera multa

vite,

vite, & fructiferis arboribus consita, præcipua gignunt vina, & poma ubertim suppeditant. Anno MDCXXXV. quum Ætnæ incendium, quod describunt Carrera, & Guarneris, pass. M. circiter IV. supra hunc montem erupisset; id passim montis *Ilicis* vulgo adhuc hodie nuncupatur, sed hunc omnino intactum reliquit. Massa *Ilicem de Mandris*, seu de *Mandanici* appellari affirmat.

INESSA Vetustissimum Opidum ad Ætnę pedes situm, incertæ prorsus originis; quod Ætnæ subinde nomen, post Hieronis I. Syracusarum tyranni mortem, retulit. Consule *Ætna Opidum*.

S. JOANNES DE GALERMO. Consule *Galermus*.

S. JOANNES DE PUNCTA Opidum in Ætnæ montis australi latere pass. M. VII. Catanâ dissidens, cujus dudum erat municipium, in æquo sedet solo, Parochiali S. Joannis Evangelistæ templo insigne, dynastæ palatio, ampla præcipua via, & amęnissimo circum agro spectandum. Massæ Comitibus, Acis Castelli Ducibus hodie obnoxium, qui ab Regii Ærarii Consularibus anno MDCXLVI. cum aliis casalibus, numeratâ pecuniâ obtinuerunt; ad Catanensem spectat diœcesim, & Comarchiam, focisque 267. incolis 2060. juxta censum de anno MDCCXIII. conflatur, qui sunt novissimè 1529. computati. Sed in descriptione elapsi sæculi lares 226. capita 935. exhibuit. His est Patronus pręcipuus S. Joannes Baptista. Ejus sunt vici, perstantes adhuc, alibi memorati, sed multo plures jacent, in quibus aliquot vetustatis monumenta occurrunt, & in regione præsertim a Doliis nuncupata, vulgo *Bottaccie*, ubi cęmentitium Doliorum opus; necnon sepulchra, ac varia ædificiorum cadavera sparsim mortalium olim frequentiam designantia. Ager inter Cata-

Catanensium vineas enumeratur, quæ fecunditate nullis aliis terrarum tractibus decedunt. Vivit S.Marię de Eleemosyna Catanensis Collegialis Ecclesię Canonicus Joseph Recupero hoc in opido natus sacra, & profana eruditione apprime imbutus, cujus extat publici juris factum de Novissimo Ætnæ incendio, & Aquarum a summo vertice Vomitu opus; & brevi de Hieroglyphica Catanensi Columna, vulgo Obelisco, ac de S. Agathæ legitimis Latinis Actis dissertatio, typis jam paratæ prodibunt.

JOJUSA Opidum supra Pactas, *Giojusa de Guardia* vulgi voce appellatum. Condidit anno MCCCLXVI. *Vinciguerra Aragonius*; sed ob ejus filii *Bartholomæi* a Martino I. descitionem in Episcopi Pactensis possessionem devenit, qui soli directus erat dominus; & si Pirri ævo lis adhuc de titulo possessionis esse dicatur sub judice. Gaudet temperato aere, & jucundo circumpositæ regionis aspectu, ortumque, & austrum respicit; Præsulibus idcirco Pactensibus, qui decentissimas in eo ædes habent, veluti suburbanum esse videtur. Parochialis Ecclesia Archipresbyteri dignitate decorata, Beneficiales, uti appellant, XIII. hodie alit, licèt Pirrus eorum numerum majorem prodat, & S. Nicolai Myræ Episcopi nomine, & patrocinio lętatur, *cujus antiquitatem*, inquit idem Pirrus, *docet quædam ædicula S. Nicolai de Monte*. Deiparæ de Gratia, aliter de Viridariis Ecclesiam, Oratorii S. Philippi Nerii Patres, ad III. lapidis jactum ob opido piis exercitationibus frequentasse dudum ab an: MDCX. tradunt, ubi & Virginis marmoreum Signum miraculis clarum sollemni festivitatis pompa celebratum. *Sed hæc hodie Congregatio*, scribit Mongitore, in Addition: ad Not: V. Pact: Eccles. *extincta ex Synodo Matthæi*

Matthæi Fatii; ibidemque constituti Clerici sæculares Vitæ Communis ab anno MDCCII. Verum utrosque cœtus perstare, & hunc postremum in S. Mariæ de Nive Ecclesia coalescere accepi. Nuper quoque MDCCXXIV. S. Francisci Minores Conventuales cœnobium excitarunt, pii Sacerdotis Coni Pisani divitiis adjuti, qui in locum novum mense Octobri ejusdem anni illati sunt. Duo præterea Parthenones, alter S. Annæ, alius S. Joannis Baptistæ titulum referentes ad sacras sub S. Benedicti regula, & ad pauperes Virgines fovendas assurgunt. Domus insuper Hospitalis pro egenis infirmitate corporis laborantibus, ac pro peregrinis patet. Celebranturque denique SS. Salvatoris Ecclesia, & in proximo vico S. Leonardi, ubi Sacramenta incolis præbentur.

Spectat *Jojusa* ad Comarchiam, & militarem Pactarum Præfecturam. Sub annum MDL. lares in Censu venerunt 260. & ejusdem sæculi anno XCIII. incolæ descripti sunt 1347. Sequentis medio lares 593. opidani 2679. Nostro hoc decurrente sub Victorio Amedeo foci 798. incolæ 2907. qui nuperrimè 3182. computati. His jura dat Pactensis Episcopus etiam in temporalibus, suos constituens administros, quibus hodie plenum imperium, idest gladii potestas non competit. Et si Arnaldo Albertino MDXXXVII. ac Bartholomæo Sebastiano Episcopis id imperii, & Potestatis attributum Regia diplomata clarissimè affirment. Agrum *Jojusensem* Vineæ, Oleta, Mori occupant ingenti copia; sed ficus alias inter arbores fructus dulcissimos progignentes in eo proveniunt, tota Sicilia celebratos. Illustres Viri memorantur *Jojusenses* Franciscus strictioris Observantiæ Minoritanus doctrina, & eruditione insignis, qui Romæ Generali suo

a secretis, & totius Ordinis Definitor fuisit, de eo Tognoletus, & Mongitore. Petrus ejusdem instituti ingenii præstantia, perfunctis muneribus in provincia primariis, animique virtutibus clarus, quas in diuturna tyronum educatione abundè patefecit, & in libris ad illorum instructionem editis uberius protulit, uti laudati scriptores meminere.

JOVIS Mons prope Tyndaridem, inter Mylas & Pactas, Fazello celebratus.

IPYRRA Fons in Alæsino olim agro, pluries in veteri tabula ad Alæsam urbem, ejusque agrum spectante, memoratus. Habes hanc apud Gualterium exscriptam, & a Cluverio laudatam, qui, *Ipyrra* fons an is fuerit, de quo Solinus, & Fannius loquuntur, ac sub *Fontis Alæsini* vocabulo jam supra egi, incertum se esse affirmat lib. 2. cap: 4.

ISNELLUS Opidum, *Asinellus* etiam appellatus, & in antiquis tabulis *Rocca Asini*, ad aquilonares Nebrodis montis imas radices, inter Colesanum, & Gratterim, in leniter declivi tumulo sedet, fluenti cognominis aquis ablutus. Diœcesi clauditur Cephalędensi, ad cujus olim Ecclesiam spectabat ex Rogerii Regis largitione; Memoratur hinc sub titulo *Roccæ Asini* in Alexandri III. diplomate, quo ejusdem Episcopatus bona, & Diœcesis describitur MCLXXI. & rursus in alio ejusdem Pontificis de anno MCLXXVIII eadem jura confirmantis. *Castri Asinelli* meminit quoque Manfredus Siciliæ Bajulus, uti mox dicam MCCL. In literis demum Martini Regis MCCCXCII. quibus Decimę Ecclesię designantur, *Asnellus* vocatur. Princeps opidi templum, & parochiale unicum, S. Nicolai nomine clarum, vetustatem redolet, cujus est Rector ab Episcopo destinatus, binis cum adjutoribus, & suffraganeæ

Ec-

Ecclesiæ XI. enumerantur. Minoritani Conventuales in S. Mariæ Magdalenæ ab anno MDLXXII. angustè, ac tenui censu degunt; Fratres verò Prædicatores recesserunt. Hospitalis denique ædes S. Michaelis titulo, pauperibus ægrotis, ac peregrinis excipiendis constituta, videtur. Castrum in editiori situ ruinas hodie ostentat. Præfectum indigenæ militiæ Thermensem *Isnellus* recognoscit, & pedites XLII. illi suppeditabat, eamdemque Thermarum urbem uti Comarchiæ caput habet. Foci illi erant sub Carolo V. Cæsare 617. opidani, XCV. ejusdem sæculi anno 2513. Sequentis LXI. anno foci 822. animæ 2867. Decurrente, in Sabaudię Ducis Censu lares 615. incolæ 1975. sunt descripti. Fertili gaudet agro oleis, ac vineis consito, nec frugibus ingrato; Saltus in eo, ac nemorosi colles venationem uberem reddunt, ac pascua pinguia armentis, gregibusque suppeditant; Ibi fontes fluminis cognominis, nec procul ab opido pons, quo illius ripę adjunguntur. Gradus latitudinis, ac longitudinis perperam in Mappis adnotatur; est enim XXXVIII.

Episcopi Cephalædensis fasces sub Northmannis cognovisse *Isnellum* passim tradunt. Manfredus autem Princeps, ac Regni Bajulus pro Conrado, Panormitanæ Ecclesiæ cum Gratteri opido *Isnelli* Castrum MCCL. concessit; quo pacto hinc Cephalędensis potestati obnoxium fuerit, & Regium subinde dominium subierit, non dispicio. *Nicolaus Abbas* sub Friderico II. tenebat cum Cephali, Ciminna, & aliis dynastiis, a quo *Isnellum* emit *Franciscus Vigintimillius* Hieracis Comes. Hic filio *Antonio* cum Colesani Comitatu moriens assignavit, anno MCCCXCII. At quum *Antonius* Martino I. infensus evasisset, Rex *Abboni Filingerio* dono dedit. *Abbo* non diu post resignavit, & S. Marci Comitatum pro

pro *Isnello* obtinuit. Tunc *Antonio* restitutum opidum Barberius dicit, sed Castri præfecturam, vulgo *Castellaniam, Arnaldo Sancta-Columba* Nobili Catalano attributam, ob ejus promerita, & impensa in Agrigentinæ urbis recuperatione obsequia affirmat. Dedit Martinus *Arnaldi* favore literas cum Agrigenti 27. Novembris MCCCXCVIII. tum alias Catanæ 21. Augusti MCCCCVIII. in quibus *Arnaldum* ob ductam nobilis gentis Vigintimilliæ uxorem *Isnellum* quoque assecutum fuisse innuitur; Cum Castri igitur Præfectura ex Regis liberalitate, opidi dominium ex dote *Arnaldo* cessit, qui filio *Arnao Guillelmo* reliquit ex illegitimo suscepto thoro. Fulsit *Arnaldus* Blancæ Reginæ Martini uxoris, primum familiaris, ejusque exercitus Dux cui tamen non diu post adversa intulit arma. Alias sibi mox vindicavit dynastias, & Panormi Justitiarius fuit. Jam *Guillelmus* clarus & ipse militaribus præfecturis in suæ ditionis opidis imperii ab Alphonso Rege potestate donatus est, duxitque uxorem Eleonoram Villaraut, ex Pritii dominis exortam; unde *Antonius* est natus, qui Raymundettæ Vigintimilliæ thalami socius *Arnaldum* II. procreavit. Ex eo, & Elisabetha Campo *Antonius* II. Eleonoræ Vigintimilliæ Simonis Hieracis Marchionis filiæ vir, cujus nomen illorum primogenitus, & hęres tulit *Simon, Isnelli* Baro anno MDXLII. inauguratus. Hic in Thermarum arce diu retentus, Joanni de Farina suorum bonorum partem accepto pretio vendidit, Asprimontis scilicet, & Madoniæ feuda. Uxoris autem Eleonoræ Agnello favore opido cessit. Hæc ideo *Isnelli* domina MDLXXVI. evasit, elapsisque duobus lustris, *Petro* filio resignavit. Alexandræ Gucci sacris vinculis adjunctus *Petrus*, pater *Arnaldi* hujus nominis III. effectus est, qui ab illius

morte

morte dynastiæ possessionem assecutus, Comitis titulum ab Rege Philippo IV. anno MDCXXV. exoravit. Fuit ejus conjux Felix Dente, cum qua *Petrum* II. genuit ob revocatam Asprimontis, & Madoniæ dynastias de gente sua insigniter meritum. Ex eo, & Joanna Columna *Ignatius* prodiit *Isnelli* Comes MDCLXVI. appellatus; unde *Petrus*, quo sine filiis decedente, *Gaspar* patruus obtinuit, ex Lucio natus, *Arnaldi* III. nepos. Hic prole etiam destitutus, ultimus ex *Sancta-Columba* familia *Isnelli* Comes fuit. Post hunc *Josepha de Thermis* ex Joanna *Sancta-Columba* proveniens, laudati *Arnaldi* III. prima filia, in judicio obtinuit, excluso Ceramensi Principe, qui ex Alexandra II. filia ortum ducebat. Habent *Isnelli* Comites in publico Regni consessu locum XXII.

ITALA Opidum, a Messana XIV. pass. M. meridiem versus sejunctum, perantiquum, a nescio quo Atalia Italo fundatore, sicuti ineptè, nullo veteri suffragante scriptore, Bonfilius, & alii tradunt, ædificatum, in declivi sedet tumulo, prope cognominis fluenti alveum, quod Rogerius Comes eodem victoriæ cursu, cum Aleo, vulgo Aly, Sarracenis eripuit; ac Monasterio Ordinis S. Basilii ab se constructo sub SS. Petri & Pauli titulo donavit, uti ejus diploma, & Sigillum Gerasimo religiosissimo primo illius Abbati constituto anno MXCIII. factum, clarissimè declarat; Agris enim, eorumque finibus descriptis, in Monachorum usum, & cœnobii dotem designatis, utrumque opidum, Aleum scilicet, & *Italam* illis compræhendit, opidanosque soli Abbati obnoxios decernit. Exscribuntur Rogerii literę apud Pirrum Lib: 4. Not. 14. Habent hinc hodie Abbates, quibus Monasterium commendatur, deligendi Magistratus facultatem, ab Friderico III. Rege

deman-

demandatum, locum in Comitiis occupant XVI. Præsentantur Pontifici ab Siciliæ Regibus, proventusque exigunt ad scut: MDCC. summam. Vivit Abbas SS. Petri, & Pauli de *Itala* Dominicus Gravina & Alliata ex Palagoniæ Principibus.

Jam Opidum quo ad sacra, Archimandrita per suum Vicarium administrat; laudatum Monasterium Parochialia per Monachos suos exercet munia, & S. Veneræ Ecclesiam habet suffraganeam. Parochus autem Archipresbyteri dignitate decoratur; Filiales reliquæ Ecclesiæ IX. recensentur, & Augustinienses discalceati Conventu utuntur non incelebri. Opidanis est præcipua Patrona, ac Tutelaris B. *Virgo de Monte* Carmelo. Quorum lares medio sæculo XVI. censi fuere 221. capita vero in descriptione circa exitum ejusdem 1405. computata. Anno MDCLII. foci 452. animæ 1662. Nostris diebus 241. lares, opidani 885. anno: MDCCXIII. computati, ac novissimè 1253. Tauromenitanam Comarchiam, & militæ indigenæ *Præfecturam* recognoscit. XXXIX. X. longitudinis gradui ac XXVIII. latitudinis opidi situs respondet, atque agro utitur moris, oletis, vineis referto, ac pascuis aptissimo. Placidus Reinæ Jotalinæ vina, Plinio celebrata in eo provenire conjectatur.

ITALÆ Fluvius erumpit ex collibus circa opidum cognomine, atque a propinquo mari, seu freto circa Caput Grossum excipitur. Ejus est mentio in Rogerii Comitis diplomate, quo fines terrarum Monasterii *Italensis* describuntur: *A littore maris ab ore fluminis de Gitala, & sicut ascendit dictum flumen usque ad Casale, quod est nominatum Eluceps usque ad Cannetum*. Male hinc in aliquibus Mappis *Italæ fluvius* Dionysium augere describitur; quum uterque


suas

ſuas habeat fauces, uti iis notiſſimum, qui per eam oram iter habent, & laudatum quoque diploma declarat. Æſtate circa littus ſicco pede trahjicitur, & proximo Promontorio, quod vulgo *Caput Groſſum* appellant, vocabulum mutuatur.

JUDICELLUS Amnis Catanam occultè interfluens. Vide *Amenanus*. Unde id nomen flumini obvenerit, prodit nemo; quod enim a voce *Fiumicellus* inde habuerit, non procedit, uti Maſſa optimè obſervat.

JUNONII Montes ab Junone Veteribus, quæ Græco vocabulo Hera dicebatur, appellati. Vide *Heræi Montes*.





ACUS PELORITANI. Ex Fazello & Cluverio tres sunt, quorum unus hyeme tantum stagnat; Maurolycus verò, & Reina duo recognoscunt, & totidem hodie extant. Maurolycus porro perperam arguit Fazellum, quod III. admiserit, hic enim Solinum sequutus est, qui cap: 11. habet: *Pelorias prestat soli temperamento egregio, quod neque humido in lutum madefiat, neque fatiscat in vagum pulverem siccitate. Ea ubi retrorsum recedit, & in latitudinem panditur, tres Lacus obtinet, quorum unum, quod piscium copiosus est, non equidem ad miraculum duxerim; sed quod ei proximus condensis arbustis inter virgultorum opaca feras nutriat, & admissis venatibus per terrenos tramites duplicem piscandi, venandique præbet voluptatem, numeratur inter eximia. Tertium ara adprobat, quæ in medio posita brevia dividit a profundis; qua ad eam pergitur, aqua crurumtenus pervenit; quod ultra est, nec explorari licet, nec attingi; & si fiat, qui id ausus fuerit, plectitur, quamtamque sui partem ingurgitaverit, tantam it perditam.* Scilicet uti laudati Fazelius, & Cluverius explicant; *Lacus* hi per subterraneos meatus e proximo mari salsas aquas recipiunt, quorum minor Peloro promontorio propior, ad teli jactum ab extimo excursu remotus, piscibus abundat; proxima autem circa ejus margines densa virgulta venatoribus non ingrata, illorum laboribus respondent; per eas præsertim tempestates, quando aquæ minimè stagnant. Et hic sanè terræ tractus lacus olim alter a Solino descriptus venationis simul, & piscationis delicias præbens. Tertius in quo

ara

ara quondam ſacra, tetro ſuo odore proximantes abbigit. Hæc autem ara Neptuno creditur fuiſſe dicata, quandoquidem in Peloro numini huic ſuperſtitioſo templum antiquiſſimum, Orione authore, extitiſſe, Heſiodus, & Diodorus teſtantur. Fert cęterò uterque Lacus conchas probatiſſimas, *Regias* a nonnullis, apud veterem vero ſcriptorem Athenæum, ex Diphilo, & Archeſtrato laudatas, Peloriaſque dictas; teſte demum Lucilio *Satyr*: *lib*: 3. in antiquorum conviviis expetitas.

LANDRUS Fluvius, fontes habet in agro cognomine ad Caſtri Regalis ditionem ſpectante, atque ab ædicula S. Baſilii vocabulum circa oram mutuatur, uti jam ſupra repoſui. Conſule *S. Baſilius*.

LARDARIA Meſſanenſe Municipium, aliter *Ardaria*, de quo dixi. Fluentum ejuſdem nominis illius fines allambit, & in fretum proripitur.

LARTALIA Opidulum ex Municipiis. Conſule *Artalia*. Juris erat S. Joannis Jeroſol: Vide *Guidomandris*

LASCARIS Vicus, Gratteris opidi Municipium cum ſacra æde parochiali S. Franciſco Aſſiſienſi dicata, leviter declivi ſolo imponitur, atque ad Vigintimillios ſpectat. Ejus ſunt lares 90. incolæ 212.

LATERNA Turris in extimo Meſſanenſis portus orientali littore, *Calopharus*, ideſt Latine ſi reddas: *Bonum Lumen*, quod navigantibus portum indicat, & Charybdim vitare, quæ in ſubjecto pelago furit, illos admonet. Id totum inſcriptio, ſupra magnificentiſſimi hujus ædificii portam in tabula e marmore exponit. En illam:

Carolo V. Imperatore, Hiſpaniarum, & Utriuſque Siciliæ Rege, Joannes Vega, Prorex, Turrim Calopharum, Ad Exponendas Noctu Navigationis Faces, Publica Impenſa Conſtruere Curavit MDLV.

LAURI Turris specula, post amnis Furiani fauces.

LETO-JANNIS Fluvius. Vide *Gallus Auri*.

LIBRITIUM Opidum est in Diœcesi, & Comarchia Pactensi, eidemque urbi ad austrum respondens in collibus; quod anno MCCCXCII. *Bartholomeus de Aragonia* constituit, Pactarumque Pastorem hodie dominum agnoscit. Quum enim eo in loco Turris assurgeret, juris Episcopalis, atque in clientelam *Vinciguerræ Aragonio* urbe assignata, omnia hic sibi usurpasset, ejus filius *Bartholomeus* opidum circa arcem ædificavit, ob cujus descitionem Martinus Rex *Eleonoræ Centelles* illud dono dedit; Verum Episcopus MCCCCXIV. ut suæ Ecclesiæ redderetur exoravit, ac deligendi insuper in opido Magistratus, facultatem Alphonsi Regis munificentia obtinuit. Parochia, & præcipua Archangelo Michaeli sacra, filiales numero v. Ecclesias sub se habet. Carmelitæ olim in opidi agro degebant, qui ob tenues dotis proventus inde recesserunt. Foci sub Carolo V. censi fuere 343. animæ verò anno MDXCV. descriptæ 802. Medio sequenti sæculo lares 417. opidani 1567. Anno MDCCXIII. lares 311. cives 1106. qui hodie 1078. numerantur. Ager nascentium copia spectatissimus, oleum, sericum, vinum, fructus, fruges suppeditat, ac colonos ditat. Egregios peperit filios: Andream Muscarà Juris-Consultissimum, ac Caussarum Patronum celeberrimum, meritis honoribus cohonestatum, nam R. M. Curiæ Judex pluries præfuit, tandemque Fisci Patronus incorruptus effulsit MDCLXVI. Antonium Collurasi longè, latèque ob insignem eruditionem notum, & literatorum commendatione clarissimum. Emensis in Sicilia aliquot annis, Venetias Antonius se contulit, ubi brevi agnitus, publico decreto ameniores Scientias docuit, plu-

pluresque discipulos ex primaria etiam nobilitate instituit, qui inter celebres eruditos locum sibi compararunt. In Equitum S.Marci Album summo honore latus, Ferdinando III. Cæsari ac Philippo IV. Hispaniarum Regi apprime charus, Publicus Regni Chronographus electus est, & S. Petri de Regio Palatio Panormitano Cantoris dignitate donatus. Floruit medio elapso sæculo, atque complura edidit a Mongitore in Bibliotheca relata.

LICODIA Opidulum recentis originis, ac vetus Monasterium S. Mariæ, ejusdem nominis, Benedictinum sub Ætnæ radicibus, qua hibernum occasum respiciunt, supra Paternionis opidum. Ibi Ego non inanibus conjecturis Æteam antiquissimam civitatem stetisse olim supra suo loco ostendi. Vici parochia, sub SS.Crucifixi titulo Monasterii eleganti templo hodie adjungitur, cujus est Rector ejusdem Ordinis Monachus. Cœnobii conditus Simoni Policastri Comiti, Rogerii Comitis ex filia Flandrina Nepoti, anno DCLX. adscribitur, qui Priori Jeremiæ terras amplissimas, & facultatem congregandi homines attribuit. Rogerius hinc Catanensis Episcopus MXCII. ad Abbatialem dignitatem Monasterium evexit, eique S. Leonis de Pannachio, & S. Nicolai de Arena alterum ejusdem instituti Asceterium univit, Petro Celio, omnium virtutum genere exculto, dudum ejusdem S. Leonis & S. Nicolai Priore, in Abbatem assumpto. Utrumque subinde sæculi XVI. anno VII. Congregationi Cassinensi fuit adnexum, sub qua hodie perseverat, S. Nicolai de Arena vulgari titulo. Monachorum quippe Collegium cum Abbate in magnificentissimo Catanensi Cœnobio ab anno MDLX. degit; IV. verò Monachi in *Licodiano*, totidemque Presbyteri sęculares Divinis celebrandis officiis intendunt.

LIMINA Opidum Marchionatus titulo clarum, ad caput fluminis supra Fretum, tumulo insidet in ortum, & meridiem declivi, cujus hodie Parochialis Ecclesia S. Dominicæ Virgini sacra, sub Archipresbyteri cura, filiales v. subjectas recognoscens, editiori loco spectanda se præbet, haud procul ab arce, quę rupi imposita non incelebris olim, nunc ruinosa videtur. Minoritanis Conventualibus *Petrus Balsamus* Dynasta Deiparæ Annunciatæ Ecclesiam MDCXXI. congruosque, ad ædificia, & fratrum alimenta proventus attribuit, qui decenter hodie in centro non infrequens occupant forum. In Tauromenitana Comarchia degunt *Liminenses*, ejusdemque urbis Militarem Instructorem sequebantur; Quorum erant lares medio sæculo XVI. sub Carolo V. Cæsare 224. & in sequenti Censu de anno MDCXV. animæ 1411. Altero sæculo, LII. anno lares 375. capita 1491. computabantur. Anno MDCCXIII. focos 403. animas 1497. & nuper 1554. descriptio exhibuit. Subduntur Messanensi Archiepiscopo quo ad spiritualia jura, & *Bonannis* hodie Catholicæ Principibus parent, locum in Comitiis XVI. plenamque gladii potestatem habentibus. Agrum possident fœcundum, aquisque amnis cognominis irriguum; unde olea, vinum, sericum, fruges affatim percipiunt, greges pabulum gratissimum assequuntur. Longitudinis gradus XXXIX. est opido, latitudinis verò XXXVII. L.

Juris fuisse *Joannis* Randatii Ducis *Liminam*, & ab ejus morte ad *Constantiam* filiam, quam habuit conjugem *Henricus Statella*, *Liminę* idcirco Baro appellatus, devenisse alibi adnotavi. Verum in Capibrevio Barbera sub Friderico II. *Parisium* Daciparum Messanensem eo opido donatum affirmat, ac *Gerardo* filio ab illo relictum, qui absque filiis moriens *Perrucio de Pari-*

sio

sio germano fratri cessit. Cui Raphael de Auria litem intendit, uti Regni Amiratus, ad hanc dignitatem *Liminæ*, & Palearis opida spectare asserens; sed anno MCCCXXXIII. *Parisius* obtinuit, quem *Nicolaus* excepit, & post hunc *Zaccharias* frater, *Perrucio*, secundo loco natus, qui in Martini Regis Censu adnotatur. Prole hic destitutus *Machaldam* neptem, ex *Nicolao* progenitam vocavit. Alibi hanc Nicolettam *Zaccharia* sororis filiam lego, quæ *Nicolao Balsamo* uxor, in hunc jura transtulit sua. *Balsamum* hinc Joannes Infans, Regis Alphonsi frater *Liminæ* dominum declaravit MCCCCXV. Ex *Balsamis* ad *Crisaphiam* gentem devenit. Verum *Thomas Girisalcus* vir Antonellæ Parisiæ ~~Alphonsi Regis familiaris, eique a~~ Secretis, prȩferri postulavit, & anno MCCCCLIII. *Liminæ* Baro declaratur. Horum filiam & hæredem *Franciscam Bartholomæus Porco* Messanensis Eques sibi copulavit, & secundis nuptiis ejusdem gentis *Hieronymus*, unde *Minucia* Alphonso Siscaræ jugali vinculo adstricta. *Balsamis* rursus, soluto opidi pretio in clientelam cessit, *Petrus* hinc primus Roccȩfloridȩ Princeps, Philippi III. privilegio *Liminæ* etiam Marchio est appellatus MDXCIX. Fulsit S. Jacobi Eques Regni XII. Vir, Messanæ Strategus, nullamque ex Francisca Aragona summæ pietatis fœmina, prolem suscepit. *Antonia* idcirco soror ab ejus morte dynastias obtinuit, quæ *Jacobi Bonanni* dudum uxor, Montis Albani Ducis, & Candicattinis domini, *Petrum* cum eo genuit. Habes *Petri* successores Tom: 2. de *Candicattino*, & *Catholica*.

LINARIUS Mons prope Messanam, cujus est mentio in Rogerii Regis diplomate.

LINGUA GROSSA Civitas ad Regium spectans

ſtans *Demanium*, ita appellata, vel quod linguæ figuram ſitu exprimat, ex Maurolyco; vel ob ſermonis, quo cives utuntur, duritiem juxta alios, Fazello teſte. Ejus extat mentio in Rogerii Comitis diplomate de anno MCXLV. at vero in Diœceſis Meſſanenſis, ad quam ſpectat, Cenſu Apoſtolicis Innocentii III. literis MCXCVIII. inito, ejus non occurrit nomen, nonnulla licet habeantur in eo opidorum vocabula ignota. Sedet ad Ætnæ montis montanas radices æſtivum ortum verſus, & planum ferme occupat ſolum, leniter admodum in auſtrum declive. Princeps templum unicum parochiale, Deiparæ ſacrum, Archipresbytero commiſſum, medio ferè opido aſſurgit non inelegans, in quo Dominicæ Coronæ Sacra Spina religioſe colitur, ejuſque honori III. Maji, feſtum ingenti pompa ab incolis celebratur. Divinis ibi præterea officiis Sacerdotum communis cœtus intendit. Carmeli Montis Aſcetę amplo gaudent Monaſterio, circa XVI. ſæculum pingui dote, & ędificiis ſpectatu dignis, loco frequenti conſtituto; Paulenſes ab an: MDLXXXIV. circa meridiem ad opidi aditum decenter degunt. Minores Capuccini in Ætnæorum lapidum tumulo ad occaſum elapſi ſęculi an: XLVII. conſpicuo Cęnobio, ſed inſtitutis conformi pomœrium claudunt; Extra S. Catharinæ Benedictini Ordinis Abbatia videtur, cum Eccleſia vetuſtiſſima, ac ruinoſis Monachorum ędibus; ſed hi jam a ſæculo XVI. receſſere; Abbatia hinc dynaſtis opidi primum, ex Regio ſubinde beneplacito, uti de jure patronatus, conferenda relinquitur; hodieque Franciſcus Buſetti illius exiſtit Rector, XLII. in publico Regni conſeſſu locum habens. Minores Eccleſię IX. in opido vigent, quas inter S. Ægidii Abbatis, Deiparæ Annunciatæ, & S. Antonii, ſodalitiis laicorum inſtructæ

structæ, effulgent, ac ędificiorum mole insignes computantur.

Via una perpetua ab austro ad aquilonem opidum describit cum area, ante majoris Ecclesiæ frontem, & venali foro haud procul, civilique basilica, in quam aliæ minores semitæ incurrunt. Dynastarum ędes dudum extabant, sed ex ruinis hodie cognoscuntur. Extra Avellanetum statim occurrit, seu potius densum nucum Avellanarum nemus; ita scilicet confertę arbores illæ sunt; solumque gramine, & violis convestitum non levis est oblectamenti iter habentibus. Agri reliquum Ætnæis alicubi lapidibus obsitum, oleas nihilominus fert, alicubi magis operosum vineas, moros, fruges, arboresque fructiferas, ac pinguia demum pascua nutrit. Ejusdem agri finibus, *Xara* vulgi vocabulo, Eremitarum domus clauditur, S. Mariæ de Lavina titulo, quam pii Sacerdotes incolunt. Deiparę autem imago multis prodigiis clara, a fidelibus cum circumpositæ regionis, tum etiam longe dissitis devoto cultu frequentissime invisitur. Regi, uti indicatum, subditur hodie civitas immediate, ab anno MDCXXX. Conscriptis Patribus IV. Quęstori Criminum, ac Syndico illius regimen demandatur; Titulum *Integræ* refert, ac volantem Aquilam pro tessera erigit; in Regni denique publico Consilio votum XLIII. pronunciat. Tauromenitanus Instructor ejus indigenam militiam, equites nempe III. pedites XL. moderatur; ipsa Comarchiæ Caput, proxima sub se opida habet. Laribus conflabatur in Caroli Regis Censu 574 quibus animæ 2706. concludebantur. Anno MDCLII. focos 1050. incolas numeravit 4107. sed decrementum hinc passa, anno MDCCXIII. focos 607. incolas 2257 exhibuit. Jus gladii *Linguagrossa* non habet.

Bar-

Barberius dynaſtas recenſet veteres, quibus dudum in clientelam dabatur *Linguagroſſa*, ac *Nicolaum de Lauria* primum in catalogum refert. *Anaſtaſia Filingeria* in Friderici II. Regeſto adnotatur MCCXX. Hinc ſub Martino *Nicolaus Criſaphius* Magiſter Notarius Officii Rationum perficitur, ex Regiis literis Leontinis MCCCXCII. Hunc excepit *Joannes* filius a Regiis Rationibus Magiſter MCCCCVII. cui *Nicoloſius* ſucceſſit MCCCCXL. *Conſtantia* ex eo genita, hęres effecta, *Antonio de Maldo* nupſit MCCCCLXXIX. qui jure uxoris *Linguægroſſæ* dominus evaſit, ac prole deſtitutus e vivis abiit; unde ex *Antoniæ* donatione *Nicolaus* II. *Criſaphi* obtinuit MCCCCXCIII. Hujus filius *Thomas*, Siculis *Maſullus*, Joanni fratri prępoſitus a patre fuit, & anno MDXV. Regio diplomate confirmatus. *Maſulli* filia *Iſabella Stephano Cottoni* MDLXVIII. Hic vero genti de *Pactis* vendidit. *Bartholomæus de Pactis* idcirco, & *Silvia* ejus filia ſub ſęculi XVI. exitum *Linguamgroſſam* in clientelam habuere. *Bonannis* poſtmodum MDCVI. ceſſit ex venditione, *Oratius* enim Ravanuſæ, Belvederis, & Carancini Baro a Pactis emit, ac Principatus inſuper titulo decoratum voluit MDCXXV. Verum cives, aureis quinque millibus, ac ducentis in Regium ærarium illatis, unde *Oratius* accepit, de *Demanio* fieri poſtularunt MDCXXX. Titulum Principatus nihilominus *Bonanni* retinuerunt, eſtque hodiernus *Vincentius Bonanni* jugali vinculo cum Victoria Vanni adſtrictus.

Sub *Linguægroſſæ* ditione Nemus eſt ad Ætnæ radices, Pinos enormis altitudinis nutriens, ex quibus pix educitur. Fazellus: *Quod quia jacet inter Æt-neas Sylvas, picearum arborum luco nobilitatur*. Contra Caſtrum Leonis quum ſtatuatur, longitudinis gradum

dum penè XXXIX, æquat, latitudinis verò XXXVII. L. contingit. Memorant cives illustrem virum Franciscum Laguzza ex ordine Carmelitano, qui doctrina eximius, sed sanctis moribus præcipuè ornatus effulsit. Rexit pluries provinciam, quo in munere egregiè se commendavit. Pirrus Not: 3. lib: 3. Dominici a *Linguagrossa* meminit ex Prædicatoribus, qui Verbi Dei zelantissimus Præco, ad animarum lucra semper intentus, asperitate vitæ, & perfectissimis moribus innotuit, ac miraculis etiam coruscavit. In S. Stephano de Bivona mortale corpus deposuit, quod summa veneratione servatur.

LINGUA PHARI Promontorium est Peloritanum, seu verius littus instar Linguæ excurrens, contra Italiæ partem, Calabriam scilicet; unde celebre Fretum ab aquilonari plaga initium sumit, cui & Phari turris imponitur. Dicitur etiam tractus ille omnis terrarum ab australi portus ora ad Raysculmum caput circa littus Siciliæ septentrionale, *Lingua Phari*, & antiquis Pelorias. Consule *Pharus*, & *Pelorus*.

LIPARIS Insula *Melingunis* etiam veteribus historicis dicta, inter Æolias major, unde aliis hodie nomen est factum, contra Siciliam in aquilonem jacet. Urbs, Episcopali throno illustris in ea sedet; cujus summa est antiquitas, ut quæ ante Trojanum bellum condita fertur. Ad Æolum quippe, qui *Liparo* Italo urbis conditori successit, ejusque filiam Teleporam uxorem duxit, Ulysses a Trojæ excidio errabundus, pervenisse traditur. Cnidiorum postea colonia auctam fuisse *Liparam* prodiunt Diodorus, Thucydides, atque Pausanias: *Liparenses*, inquit hic in Phocicis, *Cnidiorum colonia fuerunt, cujus ducem hominem Cnidium Pentathlum nomine fuisse*, An-

tiochus Syracusanus scriptum reliquit: Ait enim Cnidios, ex ea urbe, quam ad Pachynum Siciliæ promontorium condiderant, ab Elymis, & Phœnicibus bello pulsos, insulas vacuas tenuisse, ejectis prioribus colonis, quæ ex Homericis carminibus ad hanc nostram usque ætatem Aeolii nuncupantur. Harum unam nomine Liparam, condita inibi urbe inhabitant: Hieram vero, Strongylem, & Didymas navibus eo trajicientes colunt. Thucydides lib: 3. *Insulas Æoli tenent Liparæi Cnidiorum coloni; sed ex iis unam tantum inhabitant, ex hac in reliquas transmittentes, colunt eas, Didymam scilicet, Strongylem, & Hieram.* Diodorus denique lib: v. ubi sex Æoli filios enumerat de Astyocho hęc habet: *Astyochus Liparæ dominium obtinuit.* Mox postea: *Multos post annos, quum a cultoribus insulæ destituerentur, accidit, ut Cnidiorum, Rhodiorumque quidam coloniæ deducendæ consilia inirent. Creato igitur ad hoc duce Pentathlo Cnidio, sub Olympiadem L. in Siciliam transvecti, ad loca circa Lilybęum appulerunt. Ægestani tunc forte, ac Selinuntii bellum inter se gerebant; In societatem igitur Selinutiorum pellecti, multos in prętio, & inter hos ipsum Pentathlum amiserunt. Victis bello Selinuntiis, superstites domum reverti cogitabant; Ducibusque e Pentathli propinquis Gorgo, ac Thestore, & Epitherside delectis, per Tyrrhenum mare cursum instituebant. Ad Liparam ergo delati, quum perbenigne exciperentur, facile, ut habitandi cum incolis, quorum vix D. ab Æolo superstites erant, societatem inirent, persuasi fuerunt.* Hęc a Pausania, & Antiocho, quamquam in aliquibus dissentiant, colligere tamen datur: Olympiade L. ante natum Dominum DLXXX. Cnidios e Lilybęo per Tyrrhenum ad Liparæas insulas cursum instituisse, ubi ab

Æoli

Æoli posteris in civitatis communionem recepti sunt. Cœterò hæc de illis etiam subdit Historicus: *Postea eum Etrusci latrociniis mare infestum redderent, eorum vexati incursionibus, classem paraverunt, ac in partes distributi, alii in communem usum agros insularum colebant, alii in præsidio, & statione erant contra piratas. Dehinc Lipara, in qua & urbs erat, inter se divisa, cæteras in commune opere rustico exercebant, postremo cunctas insulas ad* XX. *annos dispertiti circumacto tempore, per sortitionem dividunt. Multis dehinc navalibus pugnis Etruscos vicerunt, & memorabiles e spoliis Decimas apud Delphos consecrarunt.*

Idem Historicus Liparæorum civitatem non modo ad fęlicitatem, verum etiam ad gloriam magnam fecisse incrementa, subinde tradit; Hæc enim pulchris a natura portubus, thermisque celebribus a natura etiam exornata est; balneæ namque istæ, non modò ad bonam valetudinem ægrotantibus multum conferunt, sed pro singulari aquarum genio, non mediocrem voluptatis fructum præstant. Idcirco multi in Sicilia peculiaribus vexati morbis in hanc insulam transmittunt, calidique lavacri usu, opinione citius, pristinum sanitatis vigorem recuperant. Hæc eadem insula famigeratum aluminis metallum habet; unde magnum Liparæis ac Romanis vectigal. Quum enim nullibi terrarum alumen proveniat, quod magnum tamen usum habet; merito Liparæi monopolium ejus habentes, auctis pro arbitrio pretiis, incredibiles inde quæstus faciunt. Cętero hæc Liparæorum insula haud magnum equidem complectitur spatium; frugum tamen mediocriter ferax est, & rebus ad nutrimenta hominum idoneis abundat; nam piscium variorum, eosque arborum fructus, qui jucundissimam fruenti-bus

bus oblectationem afferant, subministrat. Hucusque Diodorus, ex quo Liparę descriptio satis distincta elucet, uti nil aliud addere opus sit. De Alumine nihilominus, quod nullibi terrarum proveniat, subdit Cluverius, id verum omnino non esse; nam ex Dioscoridis lib: 5. qui cum Diodoro eadem ætate vivebat, constare videtur, tunc temporis gigni in Melo, Macedonia, Sardinia, Phrygia, Africa, Armenia, & compluribus aliis in locis; quod etiam & Plinius affirmat. In nostra autem Sicilia proveniebat quoque juxta Flumen Dionysii, circa quod, Opidulum Rocca Alumera dicitur, uti inferius reddam, utique ab Alumine. Ignis porro exspirationes quoque in ea quondam fuisse Plinius, Strabo, Aristoteles, Siliusque testantur, cujus vestigia adhuc perstant, & si hodie eruptio nulla; a multis immo ab hinc sæculis nil tale visum sciamus.

Cœterò Syracusanis fœderatos *Liparenses* in bello ab Atheniensibus gesto prodit Thucydides, Olympiade XCI. Annis verò XIX. elapsis a Carthaginiensibus occupatam insulam, ac talentis XXX. mulctatam laudatus Diodorus est author. Apud eumdem Timasitheus Dux *Liparensium* commendatur, quod Romanos Legatos Delphos cum donariis transmissos, ab suis piratis *Liparam* deductos, liberaliter exceperit, ac cum suorum præsidio in Græciam primum, mox in patriam remiserit. Post annos hinc CXXXVII. quum *Liparam* Carthaginiensibus Romani eriperent, Timasithei posteros a tributis immunes, liberosque omnino voluere. Romanorùm denique coloniam *Liparam* accepisse Plinius lib: 3. cap: 8. innuit. Primis Christianæ Religionis sæculis, quæ de *Lipara* Ecclesia circumferuntur, & de Agathone illius Episcopo, incerta duxerim. Quod autem S. Bartholomæi Corpus tunc tem-

temporis eo appulerit, traditio docet. Auguſtus ejuſdem Eccleſię Pontifex in Synodo Romana ſub Symmacho ſubſcribit; poſt quem ſex alios Pirrus enumerat, ac ſub poſtremo Beneventum S. Apoſtoli exuvias tranſlatas refert, medio circiter IX. ſæculo. In celebri illa Romani Imperii diviſione, de qua Hiſtorici, *Lipara* cum Sicilia Byzantini Imperatoris faſces agnovit; Sed a Sarracenis mox occupata, ſub illorum tyrannide ad XI. ſæculum oppreſſa ingemuit. Ejus libertatis author Rogerius Chriſtianis ſacris reſtitutam, Benedictino Monaſterio S. Bartholomæi titulo condecoravit, Ambroſio primo ejuſdem Abbate conſtituto, qui Pactenſi etiam Cœnobio præerat. Epiſcopali cathedra ſubinde crevit, & Meſſanenſis Archiepiſcopi, uti Metropolitæ, jura ſubiit; Ejus hinc Pontifex Pactarum ſimul, ac *Liparæ* ad duo circiter ſęcula Eccleſias rexit.

Andegavenſibus quum adhæſiſſet, etiam poſtquam Sicilia ab eis defecit, pace demum firmata Siculis Aragonenſibus MCCCLXIII. reſignatur; hinc Friderici III. voluntate *Ulphoni de Procyda* in feudum ceſſit, a quo non diu revocata, rurſus *Friderico de Claromonte* in clientelam datur; cujus fortaſſe opera in Joannæ Neapolis Reginæ poteſtatem venit, ac ſub ejus ſucceſſoribus perduravit; quo ſane tempore Bonifacii IX. Rom: Pont: decreto ab Eccleſia Pactenſi noſtra ſejungitur. Ubi porro Alphonſus Siculo Regno Neapolitanum MCCCCXLIII. adjecit, ut Neapolitani *Lipara* deinceps pars eſſet, & Ferdinando filio fidem ſervaret ſanxit. Anno MDXLIV. Ariadenus Barbarubra Turcicæ claſſis præfectus, ſeu potius Pirata, magna vi expugnavit, direptamque, incolis in captivitatem ſecum advectis, vacuam penitus reliquit. Qui effugerant

rant postliminio reversi, rursus frequentem reddidere, aliisque ex locis complures in coloniam deducti, notabiliter auxerunt; hinc sub Philippo III. MDCIX. ad vetus Siciliæ regimen revocatur, ac Tribuno Militari custodienda committitur.

Jam urbis situs olim a primo illius conditore *Liparo* in rupe undique prærupta, quam mare alluit, delectus, frequens, adhuc est hodie, Arce, & majori Cathedrali templo, sub veteri S. Bartholomæi Apostoli, opidanorum Patroni nomenclatura, Episcopi palatio, præcipuisque civium ædificiis nobilitatur, qui mœnibus undique munitus, unica nonnisi adiri potest porta, propugnaculo inædificata, præsidiario militi die, noctuque commissa. Circa, ad portum usque, passim cives sese diffundentes, locum non mediocriter dilatarunt, qui Suburbii idcirco nomine venit, ac S. Josephi Sacramentalem Ecclesiam elegantem ostentat, ab Episcopo Josepho Candido elapso sæculo institutam. Ibi quoque extra portam duo Minoritarum Cœnobia tumulus littori impendens substinet, alterum Observantium, uti appellant, ad Calabriæ spectans provinciam, adeoque biscentum circiter ab hinc annis, ædificatum; Capuccinorum aliud MDLIV. constitutum cum Messanensi coalescens. Canonico porro insigni Collegio Cathedralis decus augetur, quod Dignitatibus IV. Alumnis primariis XII. ac totidem secundariis conflatur. Episcopus autem ab anno MCCCC. uti supputat Pirrus, Collationis Apostolicæ est, & in Romana Diœcesi ab Ughellio computatur. Quo quidem sacro munere decoratus Vincentius de Franciscis Ordinis Prædicatorum fulget hodie, singularique zelo, ac prudentia præest. Ad ejus curiam civiles causæ, & Balivatus ex antiquo jure, Appellationis via

de-

devolvuntur, cui & dos ex cujusque rei decimis constituitur; quibus tantum exsolvendis opidani tenentur, ab omnibus aliis vectigalibus immunes.

Ex vetustis monumentis Inscriptio præ foribus Ecclesiæ principis perdurat a Gualterio relata: *Cornelio Musarto Procurat. Ti. Caes. Aug. Et Juliae August. Ex. D. D. P. P.* Alia ad gradus aræ majoris: *Pontif. Max. Ti. Caesaris.* Numismata refert Paruta, ęrea IV. in quibus Tridens, Acrostolium, seu navis rostrum, & Pilæ exprimuntur, civesque maritimis intentos innuunt, ac senile caput Liparum, aut Æolum, sive denique Timositheum, de quo dixi, denotans, ~~spectatur. V. Ego vidi cum muliebri figura~~ vas præferente, & ad Thermales nymphas alludere, necnon aquas, putaverim, quæ pass. M. VI. ab opido in occasum æstivum e rupis foramine manantes, veteribus, & recentioribus commendantur scriptoribus. Sunt in loco hypocausta, in quibus ad aquarum usum ægri conveniunt, sedesque singulis morbis appositas illa dudum habuisse opinantur, quæ hodiæ ignotæ. Aquis hujusmodi cęteroqui calidissimis, nullum perinde terris generatur incommodum, quin fęcunditate præcipuæ habentur; Vites, ficusque ingenti copia nutriunt; passas uvas illæ celebratissimas, vinumque generosum, & divitum mensis appositum progignunt; ex ficis vero ingentem quæstum simul extra insulam coloni faciunt. Nec frugibus, nec oleis, nec leguminibus ingratæ audiunt, & gossypina demum messe omnia pene necessaria incolis sufficiunt. Vide quæ paullo ante ex Diodoro notavi. Est totius insulę ambitus pass. XVIII. M. circumscriptus; gradus latitudinis XXXVIII. XL. longitudinis XXXVIII. XLV. Plenam *Liparis*, ac insularum illi adjacentium Historiam Pe-

trus

trus Campi ejusdem gentilis concinnavit, quam m. s. Hieronymum Landolina Turris Brunæ Principem servare accepi.

LISICUS Casale Rogerii Comitis ævo extabat a Sarracenis inhabitatum. Comes autem illius & proximorum incolas in unum S. Angeli opidum coegit, in quo S. Joannis de *Lisico* adhuc hodie Ecclesia perseverat. Vide *S. Angelus de Brolo*.

LISCA Alba Insula, veteribus Evonimos, hodie nonnullis Insula Alba. Siculis *Liscabianca*. Consule *Evonimos*.

LOCADIUM Opidulum inter Savocæ municipia supra Nisi fluminis alveum ad meridiem a Freti littore haud procul, IV. pass. M. ab eadem Savoca dissidens. Ejus est Parochialis Ecclesiæ titularis S. Catharina. Sed opidani gloriantur etiam Patronum S. Sebastianum Martyrem habere. Census larium MDCCXIII. fuit 75. incolarum 297. Subditur Archimandritæ etiam in temporalibus.

LOETANUS Fluvius. Vide *Longanus*.

LOGNINA Statio est Navium in Catanensi australi littore, cum turri specula, & Ecclesia Deiparæ Virgini sacra, ubi ejusdem Simulacrum ob fidelium cultum insigne, sub Rectore, cujus ad Regem spectat electio. Ibi olim Ulyssis portus; ejusque idcirco dicitur pars statio illa, aliunde non insecura, unius & alterius triremis capax, sub *Portus Lognina* nomine vulgo veniens. Amplissimum porro Ulyssis portum veteribus, Plinio, Virgilio, & Homero cum primis celebratum, Scriptores gentici jure evulgant; ejus quippe ori Insula obtendebatur, quæ hodie tractus ille terrarum, Ætnæis molibus pene obrutus creditur a *Rotolo* appellatus. Poetis vero a capris inibi pascentibus

tibus Capraria insula olim vocata, cui turris & Ecclesia insident; internus enim maris sinus, saeculo XIV. ex Ætnæi montis vomitu lapidea materia undique repletus, vix designatur. Cluverius, qui ad Erycis littus Ulyssem appulisse tradit, negat in hac orientali plaga portum extitisse; equidem nil tale, ait, oculis objicitur. Verum advertere oportebat, ejusdem Ætnæ eruptionibus faciem omnino, singulis ferè ætatibus, orientales Siciliæ oras mutare; hinc nec ipse hodie Cluverius proximas Catanæ meridiem versus agnosceret, quas anno MDCLXIX. congesti lapides ab incendio labefactarunt. Cętero Virgilius, qui in Siciliam delatus, eumdem portum *ingentem, atque a ventibus immotum* describit, eòque Æneam appulsum affirmat, rem omnino confinxisse insulse diceretur. De hoc Portu fusius Carrera in *Memor: Cat:* & Ego in *Annal: Cat:* plura congessi, ubi quæ de *Lognina* Arce ab Aci ædificata, circumferuntur, fabulis accensui. Consule Massam tom: 2.

LOMBARDI Vicus erat sub Ætnæ monte ad meridiem, quem anno MDCLXIX. ignis absumpsit.

LONGANUS Amnis, hodie a Castro Regali appellatus. Ejus meminit Diodorus lib: 22. qui *Loetanum* vocat, de Hierone enim II. loquens, scribit: *In Messanensem itaque agrum irruptione facta ad Loetanum amnem consedit. Huic objecerunt copias suas Mamertini Duce Cio, qui distributis in ordinem copiis amnem transire conatur*. Ad quem amnem commisso subinde pręlio, Hiero victor evasit. Polybius quoque lib. 5. de eodem Hierone tradit: *Deinde in Mylensi campo propter amnem, qui Longanus dicitur, hostem adortus est*. Subdit Cluverius: *Longanus* ille in Mylensi campo amnis, nullus alius esse potest, quam,

qui a finiſtro, ſive occidentali Mylarum latere, vulgari nunc appellatione accolis dicitur Fluvius Caſtri Regalis; præfertque vocabulum Polybii *Longanon* Liodori *Loetanon*, quod vitiatum dicit in Excerptis Degationum, ubi innumera hujuſmodi menda occurrunt. Conſonant Cluverio Fazellus & Maſſa; perperam idcirco in Seutteri Mappa Rizzolinus vocatur. Ejus ſunt fontes tres. Primus Hominis mortui dictus, III. paſſ. M. a Caſtro in ortum hibernum *Crizzinæ* fluentum progignit, a regione, quam abluit, appellatum; alter variis ex laticibus ſub colle Regis ad ejuſdem Caſtri orientalem plagam coaleſcens, S. Joannis ab hujus æde proxima dicitur. Hi porro duo in unum ſub Caſtro conveniunt; mox vero ubi progrediuntur, Galæ fluvium excipiunt, qui ex agro cognomine ortus, prope S. Jacobi Caſale, Caſtrenſibus ſuas aquas devehendas committit, & a Caſtro ſimul confluentes ſunt dicti. Fauces denique ad occiduum Mylenſe littus aperiunt, & Tyrrheno pelago conduntur.

LONGIS Opidum in valle ſitum inter Galatim & Tortoricim, S. Michaelis Archangeli honori dicatam parochialem Eccleſiam ſub Sacerdote *Curato*, ac minores x.; S. Baſilii inſuper pro ejuſdem ordinis Monachis Hoſpitium oſtentat; demum & Arce integra dudum, hodie labefactata inſtruitur. Patrono gloriantur incolæ S. Leone Catanenſi Epiſcopo; in Meſſanenſi Diœceſi, & Tortoricis degunt Comarchia, ac S. Philadelphi Inſtructori, quod ſpectat ad militiæ munia, ſubduntur. Cenſebantur lares ſub Carolo V. 172. incolæ vero ejuſdem ſæculi xcv. anno 578. Sequentis medio foci 289. opidani 1054. deſcripti; MDCCXIII. focos 158. animas 409. ac nuperrime 827. in cenſum dedit. Ager oleta, vineas, moros affatim fert,

fert, ejuſque coloni ad ſerici artificium aptiſſimi audiunt; Quum a Galati paucis *Longis* diſſideat, eodem penè longitudinis & latitudinis gradu conſtituitur.

Juris fuit inclytæ gentis de *Lancea* cum Galati, Ficarra, & aliis, primis Aragonenſium Regum temporibus, *Galeotti* præ cęteris, ejuſque filii Conradi, cui *Longis*, & Caſtaniæ dominium Fridericus II. ſuo diplomate MCCCII. Catanę ſcripto confirmavit. *Valorem Lanceam* memorat Barbera, quem excepiſſe *Blaſcum* ſub Martino tradit. Ex hujus donatione *Conradus* MCCCCLIII, qui Fiordeliſiam Vigintimilliam cum dote feudi Verbincaudi ſibi copulavit; unde *Perius*, quo mortuo *Antoninus* MDVIII. obtinuit, ejuſque hęredes ad annum MDCLIX. ſunt aſſecuti; Eo enim decurrente *Flavia Lancea Petri* filia, & hęres, Gaſparis de Neapoli uxor, *Longis* domina dicta eſt. Ejus ſupremis tabulis *Silveſter* filius ad dynaſtiam vocatus, contractis cum Conſtantia Piſo nuptiis, *Gaſparis* pater effectus eſt. Hic Melchiorę Monregalis vir, filium ex ea ſuſcepit *Joſephum*, jure Parentum Meliæ quoque Marchionem. Vivit jugali vinculo Mariæ Papardæ ex Parci Principibus adſtrictus; Pleno hic imperio in ſuo opido gaudet, Magiſtratus deligit, & locum in publico conſilio, VIII. inter Barones tenet.

LONGONA Caſtellum olim in Catanenſi ditione, Philiſto, Stephano, Diodoro aliiique ex antiquis ſat notum. Tradunt paſſim, quod huic *Lognina* recentioribus celeber arx ſucceſſerit, de qua dixi.

S. LUCIA Acis municipium. Vide *Acis S. Lucia*

S. LUCIA Opidum ſub Ætna, *Maſca lucia* hodie, de qua ſuo loco.

S. LUCIA Maſſa ex Meſſanenſibus ad aquilonem municipiis. Conſule *Maſſa S. Luciæ*.

S. LUCIA Casale, Messanæ Municipium in austrum, cujus Parochia eidem S. Virgini, & Martyri sacra. Lares 76. incolas 277. anno MDCCXIII. numerabat, hodie 385. Ab urbe dissidet in mediterraneis pass. M. VIII.

S. LUCIA In Campo Mylarum Civitas hodie, Majoris Regni Siciliæ Capellani sedes, qui *S. Luciæ* Abbas passim dicitur, ab anno MCCVI. Friderici Cæsaris, & Siciliæ Regis decreto designata, qui pro animi sui oblectamentis opidum deligens, illius jura Gregorio Mustacio attribuit. Primas hic Regię Capellę erat, Ecclesiæ idcirco *S. Luciæ* administrationem insimul est nactus. At quum Rogerii Comitis donatione S. *Luciæ*, Casale tunc, Pactensis, & Liparensis Abbas, subinde Episcopus, in clientelam haberet, & Fridericus, mortuo Stephano, earumdem Ecclesiarum Pręsule, id contra jura attentaverat, Jacobus Stephani successor S. *Luciæ* Ecclesiam, uti de sua Parochia, revendicare, MCCXXVIII. studebat, inita nihilominus conventione, res composita ad aliquot annos remansit; elapsis vero IV. lustris, rursus Philippus alter Episcopus de injuria suæ Ecclesiæ illata conquestus, Sinagræ opidum ab Imperatore accepit *S.Luciæ* opido dimisso. Post Gregorium alii suffecti sunt in Majoris Capellanię munere, quos Ego in Sicil: Sacrę lib: 4. parte 3. laudavi. *Antonium Ura* Mylensem postremum anno MDCCXXXIII. electum, recensens, cui *Marcellus Muscella* post quadriennium successit, elapsis nuper mensibus mundo denatus. Ibi jura, & pręrogativas ejusdem expendi; nam inter proceres Ecclesiasticos in publico Regni Consilio XI. loco assidere, Episcopali quasi dignitate cohonestari, omnique ordinaria potestate gaudere *S. Luciæ* Abbatem expendi, atque ab anno MDLXXX. ad residendum teneri,

teneri, cui ex decimis incolæ, & finitimi, in summa scut: MD. idcirco respondere coguntur.

Est porro multis ab hinc sæculis inter Demaniales *S. Lucia* computata, nec nisi in spiritualibus, uti ajunt, Abbati subest; in hujus autem ædibus ex veteri consuetudine, serici, cujus est ingens in regione quæstus, lances & pondera asservantur. Jurati Patres, Syndicus, & Criminum Quæstor civile regimen absque jure gladii administrant; propria gaudent Comarchia, sed munia ad militiam spectantia Pactensis Præfectus exercet, equitibusque XIV. peditibus LV. cives illi respondent. Lares sub Carolo V. Cæsare 651. & in Censu de anno MDXCV. incolas 3581. in focis 886. *S. Lucia* numerabat. Anno MDCLII. foci illi erant 980. incolę 3606. Sæculi hujus anno XIII. lares cum S. Phillppi, & Succursus Casalibus 896. cives 3111. descripti, & novissimè 4354. Situs in decilvi ad ortum, & aquilonem, latitudinis obtinet gradum XXXVIII. XV. longitudinis XXXIX. V. Major Basilica S. Luciæ Virg: & Mart: titulo gaudens parochialis est unica, Rectorque Abbas tres sibi subditos Sacerdotes ad sacrorum administrationem deligit. Canonicorum in ea, uti Cathedrali, collegium alumnis XVIII. conflatur, quorum primi Archidiaconi, Decani, & Cantoris dignitate gaudent; collatio autem, Archidiacono excepto, ad Abbatem spectat. Clericorum Ephebęum, *Simone Impellizeri* authore, illi adjungitur, atque Abbatiale Palatium. Quum esset denique ob nimiam vetustatem exitio proxima, ac pręterea angusta, *Antonius de Franchis* Abbas ob eximiam in Deum pietatem, qua erat præditus, a fundamentis magnificentius pecunia sua erexit; *Vincentius* vero *Firmatura* ejus successor ultimam illi manum imposuit.

Assur-

Aſſurgunt inſuper binæ aliæ Eccleſiæ, ex quibus opidani Sacramenta participant: S. Nicolai Epiſcopi, cui Capellani tres inſerviunt, & S. Mariæ de Annunciatione, VII. presbyteris commiſſa; Filiales autem VI. enumerantur. Vetus arx eminentioris collis clivo inſidens, hodie disjecta, Deiparæ ad Nives, ſeu de *Cellis* cum ejuſdem Virginis ex albo marmore devotiſſima ſtatua, ad quam venerationis ergo cum cives, tum exteri quotidie confluunt. Ibi Oratorium S. Philippi Nerii fundatum hodie viget. Sub S. Antonii de Padua nomine, & Benedictina Regula Moniales Cęnobio in opidi penè centro utuntur. Minoritanis Primæ Cuſtodiæ, vulgo Conventualibus, an: MDLII. datus eſt locus extra opidum, cum Eccleſia S. Mariæ Gratiarum, tunc opidi Cathedrali, ſcribit ex Toſſiniano Cagliola, quod omnino incongruum, quo enim pacto Cathedralis diſſita, & latrocinantium incurſionibus obnoxia, uti Cagliola ſubdit, fuerit, non diſpicio; Juris fortaſſe Cathedralis *S. Luciæ* Eccleſiæ ædes illa erat, & Cathedralis perperam vulgatur. Anno hinc MDCXXII. ob ſitus incommoda intra opidum deſignatur Cęnobium, & ſub S. Franciſci tutela Eccleſia demandatur, ad opidi ortivam extremam oram. Capuccinorum Conventus ab anno MDCX. ad jactum lapidis a pomęrio in oppoſita plaga coaluit. S. Marię de Jeſu denique Obſervantes Fratres in amplo ſatis degunt Monaſterio ad Suburbii extrema, in quo tyrones ordinis educantur. Extra portam S. Michaelis conſpicitur Eccleſia cum adnexo Xenodochio, quod excipiendis pauperibus deputatur. Ager olei, vini, ac ſerici præ cœteris dives audit, fructibus, oleribus, gramine fęlix; frugibus denique ad incolarum uſum non indigus habetur. Jacobus a S. Lucia ex Minoribus

bus ortu suo nostrum opidum nobilitasse nonnullis creditur, qui post emensos in ordine suo gradus omnes, a Sisto IV. cujus fuerat discipulus, primum Messanensis Archiepiscopus adligitur, sed ea frustratus sede, Pactarum Pontifex factus, optime ad annos præfuit. Pirrus hunc Messanensem patria dicit. Thomas a S. Lucia ejusdem instituti a Cagliola laudatur. Illustres denique sanctimonia Viri patriam *S. Luciam* habuere: Cherubinus Mostracius ex Minoribus Observantibus Sacerdos, castitatis, & silentii cultor præcipuus; rerum supernarum contemplationi continuo intentus; Divina idcirco sępissimè passus, ac miris in vita, & post mortem prodigiis a Deo illustratus. Pirrus illum evulgat *profundissima humilitatis, & asperrimæ vitæ, qui numquam vinum bibit, cilicio carnem perpetuo domuit, unica rudi tunica semper usus*. De eo Arturus in Martyrolog: qui Beatum appellat, Tognoletus, & alii. Vitæ Acta in S. *Rotam* relata sunt. Obiit Agrigenti MDLXXXVIII. Innocentius Milatius ejusdem Ordinis, sed Reformatis subinde accensus; Verbi Dei præco zelantissimus, Instituti promotor in Sicilia singularis; pœnitentiæ, & contemplationis studio insignis; Ecstases, deliciasque spiritus sępissimè expertus; mortis denique suæ conscius, Platiæ in Cœnobio ab se Reformato S. Mariæ de Jesu MDXCV. piissimè finem invenit. Ejus meminere Cajetanus, Pirrus, Chiarandà, & Arturus, qui Beati titulo illum distinquit.

S. LUCIA *Fluvius*, veterum *Pachysus*, a cujus faucibus haud procul, in Tyrrheno mari navale bellum inter Octavianum, & Sextum Pompejum commissum perhibent Annales. Ortum cognoscit in Castri Regalis agro, ad radices ortivas collium a Rege, & a *Timogna*, ex perennibus aquis ibi promanantibus, quę statim

ſtatim amnem, a *Bonata* appellatum conficiunt, eoque nomine ad *S. Luciæ* fines uſque decurrunt; ubi ab eadem urbe fluvius vocatur, ac ſub eo vocabulo in Mylarum littore ſeſe mari adjungit. An hic ſit Veterum Melas infra examinabo.

FINIS PARTIS PRIMÆ

TOMI III.



Addenda, & immutanda.

Secunda Parte Tom. I. pag. 192. linea ultima *post* Armerino, *adde*: quem Armellinum.

Tom. III. pag. 90. lin. 24. *post* situm, *adde*: atque Canonico Collegio anno MDCCXLII. auctum.

Pag. 127. lin. 15. *post* perhibent, *adde*: necnon Minoritarum Conventualium Cœnobium S. Mariæ de Jesu titulo anno MDLXXIV. constitutum, ubi decentissima Virginis Matris e marmore statua servatur.

Pag. 138. lin. 9. *post* Cajetanum, *adde*: Nostris diebus Antoninus Finochius Soc: Jesu Sacerdos floruit, qui sacris expeditionibus, quoad vixit, totam pene insulam obivit; ob sanctimoniam, zelumque animarum notissimus. Apud Claromontem senio & laboribus confectus morte pretiosa ex humanis an: MDCCXLI. sublatus.

Pag. 190. lin. 18. *post* devenisse, *adde*: Guillelmus hujus nominis III. Ecclesiæ Panormitanæ *Colesanum* loco pignoris, liberè tenendum MCXCIV. indulsit, donec XI. M. & CC. tarenorum summa ipsi fuerit a successoribus Principibus competenti satisfactione soluta. Revocatum subinde invenio ante annum MCCXIV. in bonorum quippe Panormitani Archiepiscopatus recensione *Colesani* mentio extat nulla. Igitur

Pag. 213. lin. 11. *post* defecerunt, *adde*: Observantibus porro Conventuales succedentes an: MDCXXV. S. Bartholomæi ædem occuparunt.

Pag. 242. lin. 9. *post* Curato, *adde*: Patronus S. Joseph.

Errata

Pag.	lin.			Pag.	lin.		
13.	25.	XDCI.	MDCXCI.	152.	5.	porram	portam
	27.	thesa	thensa	161.	12.	Massalę	Messalę
14.	1.	abeuntis	obeuntis	210.	33.	*Conradi*	*Conrado*
90.	12.	snfulę	insulę	113.	8.	Conventuales	Observantes
148.	3.	Netinæ	Neti				
151.	2.	alliis	aliis	242.	8.	Josepho	Isidoro

